



~~VI-28~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.


VI-40.

SIGNAT. MDCCCXIII.


Constat 24 98













3 cc) 671  
26  
DISCURSUS THEOLOGICUS

De

ANATHEMA  
TISMIS

Seu

Condemnationibus Ecclesiasticis.

*Ubi inprimis illa tractatur Questio*

An Calviniani & similes in concionibus & scriptis  
publicis à ministris Ecclesiæ nominatim  
sint refutandi.

*Disputationis Ordinariae loco propositus in inclytâ  
Academia Wittebergensi,*

AUTORE & PRÆSIDE

FRIDERICO BALDUINO D.


Professore publ. & Superintendente.

RESPONDENTE

M. JOHANNÉ DÖLINGIO,

Demmino-Pomerano.

*Habebitur σὺν Θεῷ 3. Martij, horis & loco solitis.*



WITTEBERGÆ,

*Ex Officinâ Typographicâ Johannis Gormanni,*

ANNO clc lxx.



2 H O I O



A ILLUSTRISSIMO AC CELSIS-  
SIMO PRINCIPI AC DOMINO,

Dn. PHILIPPO IULIO,  
Duci Stetini Pomeraniæ, Cassubiorum ac  
Vandalorum, Principi Rugiæ, Comiti  
Gutzkoviæ, Leoburgensium  
ac Bytoviensium,  
Dynastæ,

*Domino meo Clementissimo.*

In gratitudinis subjectissimæ signum  
pro beneficiis maximis

*Exercitium hoc Theologicum  
sacrum volo*

Cellitud. E.

*Subjectissimus Servus*

M. JOHANNES DÖLINGIUS  
Respondens.





DE CONDEMNATIONIBUS ECCLESIASTICIS.

THESIS I.



ihil minus ferre potest impia doctrina, quam reprehensionem publicam, qua imposturae ejus deteguntur, & applausus, quem adfectabat, minuitur. Nam quia ex malo est, odit lucem, & latebras quaerit, ut eo plures decipiat. Unde non tantum CHRISTUS Judaeorum convicia; Stephanus Scribarum, Seniorum & totius plebis lapides; Paulus Pseudoapostolorum opprobria expertus est; verum etiam omnium temporum doctores pij injuriis mundi expositi fuere eo, quod hostibus doctrinae caelestis masculè restiterunt, eorumque errores publicè condemnarunt.

I I.

Reperti sunt, qui anathematismos orthodoxorum Patrum contra hereticos, etiam in œcumenicis Conciliis factos, ferre non potuerunt: quemadmodum Iohannes Antiochenus in Concilio Ephesino non tantum anathematismos Cyrilli contra Nestorium, improbavit; verum etiam Cyrillum ipsum & Memnonem, eo quod Nestorium damnarunt, deposuit, partim quod adventus ejus in condemnatione Nestorij non fuisset expectatus, quem tamen Cyrillus studiosè protractum judicat, in Epist. Apologet. ad Theodosium Imperatorem; partim etiam, quod cum Nestorio colluderet: de quibus omnibus vide Acta Concilij Ephesini tom. 3. cap. 1. in Tomis Concil. tom. 1. fol. 775. a. Idque postea Johannes ipse, ejusque nomine Paulus quoque Episcopus Emisenus retractarunt, dum Nestorium pro deposito habuerunt, & anathematismos Cyrilli antè a se rejectos, approbarunt, ut constat ex epistolis, quas hoc nomine ad Cyrillum scripsere, quae extant in Actis Concil. Ephes. tom. 5. cap. 4. & 5.

A 2

3. Alij





## III.

Alij condemnationes mortuorum ægrè tulerunt. Nam cum in Concilio Constantinopolitano, quod est OEcumenicum quintum, Theodorus Mopsvestenus, qui Nestorij hæresin incrustaverat, damnaretur, fuerunt qui objicerent, non oportere eum post mortem anathematizari. Quibus opposuit Concilium 1. traditionem Ecclesiasticam, quod & post mortem hæretici anathematizantur. 2. exempla eorum, quibus hoc accidit. 3. Scripturam, quæ judicat omnes, qui non credunt, & anathematizat omnes, qui Evangelium aliud docuerint, etiam si non amplius vivant. 4. etymon vocis anathematis, quod nihil aliud notet, quam separationem à Deo, quam impius sibi ipsi inferat, licet non verbo ab aliquo suscepisset, per suam impietatem à verâ vitâ semetipsum separans. 5. testimonium Cyrilli, qui in libris contra Theodorum scripserit: evitandos esse illos, qui tam pessimis culpis derinentur, sive in vivis sint, sive non: à nocente enim semper refugiendum esse, & non ad personam respiciendum, sed ad hoc quod Deo placeat. *Vid. Tom. 2. Concil. fol. 88. a.*

## IV.

Fuerunt, qui ad pacem Ecclesiæ quamplurimum facere judicarunt, si controversiæ Theologicæ suppressis autorum nominibus tractarentur, ne personæ fierent odiosæ. Ita enim D. Philippus in prælectionibus Anno 1552. Torgæ habitis, scribit: in Ecclesiis orientalibus petitum fuisse, ut de filij Dei divinitate orthodoxa doctrina proponeretur integrè, & contraria doctrina refutaretur, suppresso nomine Arii aut Arianorum, cui petitioni multi obtemperarint. Et *Sozomenus lib. 4. hist. cap. 17.* refert: Valentium, Ursatium, Germinium, Auxentium, Gajum & Demophilum in Synodo Ariminensi postulasse, *ne sententiæ singulorum in posterum curiosius investigentur, ne dissidia & seditiones moverentur, quas disputationes & accuratæ inquisitiones traditorum nominum inducere soleant.*

## V.

Similia his vidit nostrum seculum, ubi de condemnationibus falsæ doctrinæ, non semper eadem fuere judicia. Tempore Interimistico, cum à nonnullis fidem orthodoxam profitentibus Papæ cui nimium indulgeretur, suaserunt aliqui, quibus Cæsaris ira erat formi-



formidabilis, ne quid pro concione nominatim contra Papatum, proponeretur, hoc est, ne Papa, Episcopi, Monachi, missa & similia, expressè nominarentur, multò minus damnarentur; cui tempori opposuit se præ cæteris *M. Sigismundus Cephalus* Anno 1550. peculiari scripto, quod legitur *decade 1. Consil. Theol. D. Bidembachij fol. 22. seqq.*

VI.

In primis autem genti Sacramentariæ intolerabile prorsus videtur, quod in Confessionibus nostris Adversariorum nomina exprimimus, & dogmata eorum damnamus, & si non unicum, primum tamen medium pacis restituendæ arbitrantur, ab istis abstinere. Sed cum hæc res non careat dolo, totaque eò sit directa, ut Adversarij errores suos latenter & insidiosè longè lateq; propagarent, semper reperti fuerunt, qui ad exemplum orthodoxorum Patrum conatibus hæc resistentes Ecclesiam Christi ab istis dolis liberarunt.

VII.

Cum Anno 1525. *Zwinglij* & *O Ecolampadij* scripta publicè in omnium manibus versarentur, *Martinus Bucerus* per literas & internuncios passim apud Theologos, præsertim verò Lutheranos diligenter egit, ut sub specioso pacis & consensionis integumento impediret, ne quis sese *Zwinglio* & *O Ecolampadio* publicis scriptis opponeret. In quem finem *Georgium Chaselium* Argentinenfis Ecclesiæ ministrum *Witebergam* ablegarunt: Sed *B. Lutherus* bonâ cum instructione ad suos eum remisit, quæ extat Tomo 2. *Epistolarum Lutheri* pag. 302. ubi inter alia hæc habet: *A convitiis abstinere visum est, sed quomodo responderi potest aut contradici, si damnare non licet, & damnandi verbum pro convitio rapitur? annon convitium est, quod illi modestissimi nos carnivoras, esculentum Deum, impanatumq; colere, tum negatores redemptionis in cruce factæ editis libellis traducunt? Ipsorum est modestia, nos immodesti: hæc hætenus tulimus, cum ipsi ferre nequeant, si errare dicantur à nobis, an prorsus probari volunt? planè non feremus talia.* Hæc Lutherus.

IX.

Liber Christianæ Concordiæ eo imprimis nomine exosus est Adversariis nostris, quod falsam doctrinam damnat, quâ de re querelarum ferè nullus modus est. *Censores Hasiaci* in suâ censura anno 1576. offenduntur vocabulo *Condemnandi*, quod durum & vehementens verbum nominant, quo animi alterius partis offendantur,

A 3 &





& exacerbentur, in cuius locum mallent substitui verbum *Improbandi*. Idem est consilium Autorum *Orthodoxi*, quem vocant, *consensus*, qui in Præfatione ad Ecclesias German. ex censura Tangermündensi, pro *condemnandi* verbo (quod forense potius, quam Ecclesiasticum dici posse censent) vel *improbandi* vel *rejiciendi* verbum substitui volunt. Judicium de his censuris & consiliis vide in *Refut. orth. consens.* fol. 522. & in *Concordiâ Concorde*, cap. 14. fol. 122. b.

## IX.

Regina Angliæ Saxoni & Brandeburgico, Electoribus Imperij per Robertum Belum legatum dissuadere conata fuit anno 1578. ne censuras & condemnationes Adversariorum permitterent, prætendens, more Calvinianis usitato, *integras damnari Ecclesias, unde magna fiant virium & animorum distractiones, & consletur multorum invidia; condemnationes illas esse occasionem dissensionum atq; fortassis hostilitatis inter imperij membra, eorumq; vicinos, & quæ sunt hujus generis alia.* Ad quæ quid responderit Sereniss. Elector Augustus, legatur in *Concordiâ Concorde* cap. 17. fol. 140. seqq.

## X.

Neostadiensis in sua de Libro *Concordiæ Admonitione* integrum habent caput, in ordine septimum, ubi, quam ægrè ferant errorum suorum condemnationem, quam odiosè eam criminantur, satis prolixè legi potest. Sufficienter autem & solidè eis responsum fuit, in *Apologiâ Form. Concord.* cap. 11. pag. 289. & seqq. editionis Magdeburgensis.

## XI.

Hodie, cum Calvinismus alicujus aulæ favorem expalpavit, id unicè agunt politici, ut canes ab ovili pellantur, hoc est, sinceris Ecclesiæ doctoribus non concedatur, ut vel doctrinam Adversariorum, tanquam impiam, & verbo Dei contrariam damnent, vel etiam Adversarios ipsos pro concione in specie nominent: quam ob causam mandata inhibitoria, stylo sæpè Lycambeo, & atrâ bile tincta, Principum ac Rerumpub. nomine promulgant, quemadmodum hætenus ab annis aliquot praxis multis in locis docuit.

## XII.

Cum autem hæc omnia sub dulci pacis nomine proponantur, & qui mandatis istis parère nolunt, ut turbatores pacis, viri  
rixa-



677  
rixarum, & politicæ quoque tranquillitatis pestes, proclamantur:  
hinc fit, quod in multis Spiritus extinguitur, officium ministri  
ἐλευκτικόν vel prorsus negligitur, vel segniter satis tractatur, dum  
ad placitum politicorum vivitur, ad minimum dubij redduntur  
multis, quid hoc in genere facti opus sit, ne honori divino, auto-  
ritati magistratus, & dignitati Ministerij quidquam derogetur.

XIII.  
Ut ergo conscientis & magistratus & ministrorum hoc in-  
genere consulatur, venenatæ doctrinæ contagium præcaveatur, &  
sua ministerio autoritas atque dignitas, quam divinitus habet, as-  
seratur: operæ precium judicavi, materiam hanc de Condemna-  
tionibus Ecclesiasticis placidè discutere, idque hoc ordine, ut o-  
stendam primum, quid per Condemnationes illas intelligam; de-  
inde quod Ecclesiæ minister eas bonâ cum conscientia non omit-  
tere, nec magistratus pius prohibere possit, probem; & denique  
dispiciam, quid ab Adversariis hinc inde contra hanc doctrinam  
opponatur, quo imprimis politici sua palliare solent interdicta.  
*DEUS veritatis atque pacis sit in medio nostrum, Amen.*

## CAPUT PRIMUM.

*Quid per Condemnationes Ecclesiasticas  
intelligatur.*

XIV.

Condemnatio seu damnatio, prout hinc accipitur, verbum est Ec-  
clesiasticum, hoc est, ad decisiones causarum Ecclesiasticarum  
pertinet, & à foro civili, ad forum Spiritus S. in Ecclesiâ transfer-  
tur. Quemadmodum enim in foro civili notat reum accusatum,  
& convictum justâ pœnâ dignum esse, *Prov. 17, 15. Dan. 1, 10. Esa. 54, 17.*  
*Matth. 12, 41. Rom. 2, 1.* ita in Ecclesiâ notat, falsæ doctrinæ doctorum-  
que satis auditorum & convictorum non simplicem reprobatio-  
nem, sed pœnam insuper in verbo Pseudodoctoribus pertinaci-  
bus dictatam: quo sensu hæretici semel atque iterum moniti *pro-  
prio judicio dicuntur condemnati. Tit. 3, 11.*

XV.

Alias vocatur in Scripturâ ἀνάθημα *Gal. 1, 8. 9.* dialecto Atticâ  
com-



communi lingua ἀνάθεμα, autore Photio: quam vocem nonnulli derivant ἀπὸ τῆς ἀνωτίθεος à sursum ponendo, quæ etymologia placet Thomæ super cap. i. ad Galat. Nam veteres prædam in prælio captam, quam convertere volebant in usum proprium, suspendebant in templis, vel in aliquo publico loco civitatis, quasi separatam à communi hominum usu. Rectius nomen habere dicitur ἀπὸ τῆς ἀνατίθεος à seponendo. Nam consuetudo obtinuit, ut quicquid à communi usu separatam & exclusam esset, anathema diceretur, Hebræis אָנָתֶמָה & אָנָתֶמָה quæ vox non tantum est separatio aliqua, verum etiam excidium seu excommunicatio, cum quis se non emendans cætu Ecclesiastico movetur, & ex populo suo excinditur, ut habet Schindlerus in lexico, voce אָנָתֶמָה.

## XVI.

In Scripturâ sacra nuspiam usurpatur Anathema de pœnis civilibus, quæ infliguntur corpori aut fortunis hominum, sed de iudicio Ecclesiæ, quod de iis fertur, qui malitiosè injuri sunt in Deum & verbum ejus, unde *anathema cum maranatha* (quod nonnulli Chaldæis idem esse putant, quod Hebræis אָנָתֶמָה, quasi dicas, maharamata, execrationem nimirum & abominationem) conjungitur 1. Corinth. 16, 22. *Si quis non diligit Dominum JESUM, sit anathema Maranatha:* & in Conciliis olim anathema dictum fuit impiæ doctrinæ, & doctoribus, qui eam contra manifestum DEI verbum malitiosè propugnant & propagant.

## XVII.

Falsissimum ergò est, quod Autor Orthodoxi Consensus, verbū *condemnandi* forense esse putat, hoc est, interprete Hospiniano in *Concord. Discorde*, idem ac igni & aquâ interdicere, & ut Iohannes Sturmius in *Antipappis* loquitur, *in errantes Rhadamanteam ferre sententiam, eosdemq; magistratui politico persequendos, mactandos, trucidandos, excarnificandos tradere:* quæ omnia per calumniam Ecclesiis nostris affinguntur.

Condemnatio  
falsæ doctrinæ  
non significat  
pœnam civilem.

## XVIII.

Nuspiam enim talia legerunt in nostris scriptis, nuspiam eorum praxin apud nos viderunt. Nihil commune habet Ecclesiastica doctrinæ falsæ condemnatio, cum civilibus judiciis, neq; magistratum politicum hoc in genere iudicem agnoscimus, neq; pius magi-



magistratus iudicium tale sibi arrogat, sed potius cū Constantino Imperatore laudatissimo, committit hoc ministerio. Eum enim Episcopos in concilio congregatos ita allocutum fuisse refert Theodor. li. 1. hist. cap. 7. Evangelici & Apostolici libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula plane instruunt nos de ijs, quæ de religione sentienda sunt, ex his, depositâ hostili discordiâ questionem sumite explicandam. Multò minus alicujus erroris convictum magistratui excrucian- dum, trucidandumq; tradimus: probè enim sciunt Adversarij, quod hæretici sint interficiendi, non nostrum esse dogma, sed Bellarmini, Calvini, Bullingeri, Bezae & similium, quod scripta ipsorum hac de re, tantum non ex professo edita, docent, quibus semper à nostris contradictum fuit, qui cum Augustino existi- mant, nullis bonis placuisse unquam in Ecclesiâ, ut in quenquam licet hæreticum, ad mortem usq; læviatur, ex lib. 3. cont. Crescon. Grammat. cap. 50. De Calvinianis verò jam pridem scripsit Bellarmi- nus, inquisitionem hæreticorum Papisticam apud ipsos non per- secutionem, sed bellum civile potius appellari posse, lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 7. Nos tantum abest, ut convictos veritatis hostes ma- gistratui tradamus, ut & politicam pacem cum eis colamus, ac proinde communia commercia & privilegia civitatis, in quâ no- biscum habitant, ijs non invidemus.

## XIX.

Nihil ergò aliud cogitare possumus, dum injuriosam illam, condemnationum Ecclesiasticarum interpretationem legimus, quàm Adversarios ex suo nos metiri ingenio, qui magistratum suum, contra servos Lutheri, quos vocant, igne, ense, fune, rotâ, armant, ubi ère sua esse vident, quales erant illi, qui & templo & arci Principis sui versus adscripsere Heidelbergæ:

*O Casimire potens, servos expelle Lutheri,*

*Ense, rotâ, ponto, funibus, igne, neca.*

Qui Lutheranos in novam Zemblam ad rabidos urfos & al- bas vulpes, vel in Americam ad Indorum convivium relegandos censent, autore Paulo Tossano in Act. Colloq. cum legato Anglicano p. 44. qui non frigidam, sed calidam suffundant, es will nicht anders sein denn nur heis Wasser darauff gegossen vnd Hitze mit hitze vertriben/ clamat Mauritius Neodorpius in Luth. Ortho. p. 314. Quiq; viros

B

benè

*Calvinia-  
norum mo-  
destia.*





benè meritos, tantùm quod Calvinismo masculè se opposuerunt, etiam post mortem diris omnibus devovent, licet nunquam convictos, nedum in aliquo Concilio (quod ipsi semper urgent) auditos: quemadmodum de optimè merito Theologo *Philippo Nicolai* superiori anno *D. Pareus* in colloquijs suis Sualbacensibus scripsit, *collat. 2. pag. 18.* quod *rabiosum istum scriptorem* (ita *D. Philip. Nicolai* nominat) *non ita pridem ultrices Furia, inter media tonitrua & fulgura infelicem animam exhalantem, ad causam blasphemiarum Deo iudici dicendam è vitâ abripuerint.* Hoc nimirum est Rhadaman-team ferre sententiam in defunctum, eumq; non magistratui, sed infernalibus furijs excarnificandum tradere.

## XX.

Unde facilè liquet, etiamsi gens Calviniana satis multa contra condemnationes ebuccinet, quod tamen nullibi crudeliores condemnationes dominantur, quam inter ipsos, ita, ut quis citra injuriam dicere ausit, quod sub hypocritica pacis prædicatione optare videantur, ut alterum in alterius mactatum sanguine cer-nant, si non ad nutum ipsorum in omnibus viveretur: sciant au-tem nos consuetudinem talem non habere, neq; Ecclesiam Chri-sti: ideò parcius istam nescio quam crudelitatem condemnatio-nibus nostris objicere debuissent. Etiamsi enim condemnetur doctrina falsa, & ejusdem defensores, nemo tamen à nobis pro-pterea magistratui excarnificandus traditur.

## XXI.

Condemna-  
tio Ecclesia-  
stica quid  
sit?

Est enim ista, de quâ hic disputamus, condemnatio, nihil aliud, quàm censura Ecclesiastica doctrinæ impiæ & assertorum, ejus, quâ ex scripturâ convicti, quod Ecclesiam DEI turbent, & alios seducant, indigni judicantur, qui audiantur amplius, ejusq; pænæ rei, quam Deus malitiosis verbi depravatoribus minatur, quæ etiam nunquam eos deseret, nisi emendentur: Et hæc omnia eum in finem fiunt, ut seductores corrigantur, & qui seduci possent, cautiores fiant.

Capus



## CAPUT SECUNDUM.

*Formatio status & τῶν μὴ ζῆσιμένων remotio:*

XXII.

De his ergo Condemnationibus quæritur, An sint in Ecclesia licitæ, & consequenter, an impia doctrina, & autores ejus in specie nominandi sint, vel in scriptis publicis, vel pro concione. In quâ quæstione, ne vel in excessu vel in defectu peccemus (quorum utrumq; conscientiam & charitatem Christianam lædit) ea prius removenda sunt, quæ utrobiq; sunt extra controversiam.

XXIII.

Primum igitur non quæritur hîc, an antithesin sanæ doctrinæ tractare liceat: hoc enim concedunt Adversarij: (licet multi tantum verbis) & nimis apertè scripturæ se opponerent, si non concederent. Dicitur enim scriptura utilis etiam πρὸς ἐλέγχον 2. Tim. 3. 16. & inter officia Episcopi refertur τὸς ἐντιλέγοντας ἐλέγχειν Tit. 1. 9. & quod Dominus ad Ieremiam dixit, omnes in ministerio concernit: Si separaveris preciosum à vili, minister meus eris Ierem. 15. 19. quæ separatio manifestum infert discrimen inter thesin & antithesin, quod pertinet & illud, quod Ezech. 22, 26. inter mundum & immundum discernere jubet. Cumq; contraria inter se posita magis elucescant, vix utilius aliquis docere potest, quam per oppositionem veræ falsæq; doctrinæ. Philosopho licitum est, non tantum veram adferere sententiam, sed etiam sophisticam ἐλέγχειν: Medicus non tantum de sanitate tuenda disputat, verum etiam de morbis, quibus ea perditur. Sic & Theologi est, non tantum de doctrinâ sanâ, sed & de hæresibus, quæ instar cancri serpunt, differere, & antidota ejus opponere: Si qui hoc prohibere ausit, bonam partem ministerij Ecclesiastici tolleret.

XXIV.

Deinde non est in quæstione, an in tractandâ Antithesi & calumnijs sit abstinendum. Scimus enim gravissimè prohibitum esse in lege, ne calumniam faciamus proximo Levit.

B 2

19. 13.



19. 13. & Thucydidis sententia est, διαβολὰς ἑσὶ φρονεῖν ἔτε λέγειν πρὸς ἀλλήλους, ἅτε ἀκούσας ἀποδέχεσθαι: non decet calumni-  
as neq; narrare alijs, neq; audiendo suscipere. Minimè ergò pro-  
bamus, si Adversarijs error aliquis affingatur, cujus convinci non  
possint: quæ species mendacij est, à quo omnes homines, inpri-  
mis Theologi debebant esse alieni. Candidè fiant omnia in Elen-  
cho, non depraventur rectè dicta, non alienus eis affingatur sen-  
sus, multò minus peregrina dogmata scriptis Adversariorum con-  
tra conscientiam inferantur: quæ omnia ne politicè quidem bo-  
nos, nedum Theologos decent. Quo in genere, ne jure aliquid  
nobis objici possit, cavebimus: viderint autem Calviniani, quo-  
modo hoc in genere suam nobis innocentiam probare velint.

XXXV.

Nam quid Lutherò & alijs orthodoxis Theologis affinxe-  
rint, q. impanationem quandam & Capernaiticam carnis Christi  
manducationem in cæna, corpus Christi non verum sed phanta-  
sticum, & tamen in omnibus mundi partibus expansum, commi-  
xtionem cæli & terræ, & similia paradoxa statuerint, publicè no-  
tum est, & ipsi interdum conscientia stimulis adacti, diffiteri non  
potuerunt. Itan. scribit Martinus Bucerus ad Comandrum Ecclesiæ  
Curiensis Rheticæ Pastorem, anno 1538. Quod Lutherò & eis, qui ab  
ipso stabant, tribui crassiorē de presentia & perceptione Domini in S. cæ-  
Lutherò & nā sententiam, quam deprehenderim postea, & nunc testificor, illis unquam  
alijs aliqua fuisse &c. Et in aliā Epistola ad eundem: In hoc levitatis & nos &  
affinxisse. Bullingerum condemnamus, quod ut ipse adhuc, ita & nos aliquando, Lu-  
therò & alijs sententiam adscripsimus, in quā ille nunquam fuit.

XXXVI.

Laudem meretur hæc pristina levitatis, & injuriæ inno-  
centibus illatæ, confessio, quam dum excusare conatur Iohannes  
Sturmius in Antipappo quarto, non commendare non potest. Si  
meum judicium, inquit, de hac Buceri querelā audire volunt, judico il-  
lam justam esse, & verècundam, ad amicum communem Comandrum scri-  
ptam: an verò injuriæ causam rectè Bullingero adscripserit, affirmare non  
ausim. Audi ingenuam confessionem, quod Bucerus justè & ve-  
recundè semet, ipsum Levitatis, in affingendo Lutherò sententiam  
alienam



alienam accusaverit. Excusat tamen hoc pacto, quod hanc epistolam Bucero nunquam in mentem venerit, edere, & quod non fuerit reposita inter ea opera Buceri, quæ Basileæ edita sunt: quæ qualis sit excusatio, in qua factum ipsum, ut justum commendatur, prudentes judicent. Nos optarem eandem ingenuitatem, hodie à Calvinianis impetrari posse, non est dubium, quin non epistolas, sed integros confessionum libros de injurijs, quas nobis fecerunt hætenus, scripturi essent. Sed absit ista levitas ab ijs, qui antithesin sanæ doctrinæ rectè proponere volunt: sive enim ex malitiâ, sive ex inscitia error alicui affingatur, utrumq; in vitio esse judicamus.

## XXVII.

Proinde nec hoc quæritur, *an promiscue omnibus judicare de Adversariorum erroribus liceat.* Etsi enim officium elenchticum commune est omnibus Ecclesiæ ministris: non tñ. rectè administrari potest, nisi ab ijs, quibus doctrina Adversariorum est perspecta, neq; damnare possunt nominatim, quorum scripta non legerunt, & argumenta nondum ponderarunt, aliàs damnabunt nondum lecta nec intellecta: Unde facilè injuriam alijs facere, & auditores relatione minus fundatâ decipere possunt: quo nihil perniciosius est in Ecclesiâ. Qui ergò arguere volunt Adversarios, ante omnia viderint, ne errorem, quem arguunt, ex vanis rumoribus perceperint, sed ex ipsorum Autorum lectione hauserint, & ut de eo rectè judicare possint. Quibus hæc adminicula defunt, satis ijs est, alijs muneri sui partibus diligentius perfungi, & ἐλεγχον falsæ doctrinæ peritioribus committere.

## XXVIII.

Tria enim potissimum requiruntur ad ἐλεγχον; 1. dijudicatio, quæ consistit in accuratâ cognitione rei controversæ, & ex collatione argumentorum utriusq; partis oritur. 2. refutatio sententiæ falsæ, ex solidis scripturæ fundamentis petita. 3. admonitio ad auditores, ut veram sententiam fideliter complectantur, & diligenter custodiant, adversam a. tanquam verbo Dei contrariam fugiant, ac detestentur. Postremum hoc duo priora fundamenti loco præsupponit, quorum qui sibi non est conscius, tertium quoq; utiliter adhibere non potest.

Tria requi-  
sita legiti-  
mi ἐλεγχου

B 3

29. Vide-



## XXIX.

Viderint hinc iterum Calviniani, an ipsi huic requisito satisfaciant: qui liberam doctrinæ nostræ condemnationem quibusvis etiam non professione Theologis committunt. Nam ferre possunt, ut non tantum principum consilij viri politici sinistra quæque de religione vera, ejusque assertoribus spargant; verum etiam, ut alij ipsorum Oratores hoc in genere stylum suum exercent. Quemadmodum Johan. Sturmus Orator Argentinensis librū Concordiæ se legisse nunquā fatetur, & tamen in Antipapp. 4. pessima quæque in istum librum evomit, in primis autem doctrinam de Majestate Carnis Christi, Dianam *mammata* nympham *παιταχσιν*, novam in Ecclesia meretriculam Sphingem atq; Chimæram, in qua sint omnia Marcionis, & Valentini, & Arrii & Eutychis & Nestorij & Sabellij falsa & inania dogmata, neminat Hujusmodi linguæ petulantiam in re præsertim ignota, nemo qui politicè tantum bonus est, laudabit.

## XXX.

Hinc quartum resultat, quod in quæstione non est, an nimirum etiam nondum auditi nedum convicti sint arguendi & condemnandi. Nam si dijudicatio, & refutatio controversiæ præmittenda, nemo utiq; erroris nondum convictus, nedum nō auditus, damnari potest, vel debet. Christus ipse in privatis offensis causæ cognitionem præcedere & fratrem offendentem audiri vult, antequam Ecclesiæ significetur, *Matth. 18. 15. 16.* quantò magis hoc in controversijs religionis pensi habendum? Christus Phariseos & Sadducæos non auditos saltem, sed & ad silentium adactos cavere iussit *Matth. 16, 6, 12: 22, 34, 46.* & in omni iudicio præmittenda est sententiæ cognitio, & examen causæ, ne fiat initium processus ab executione: ideo *Syracides* monet *cap. 11. 7, 8. priusquam interrogas, ne vituperes quenquam: & cum interrogaveris, corripe justè; priusquam audias, ne respondeas verbum & c.* Et in lege præcepit Dominus: *Si audieris in unâ urbium tuarum, quas Dominus DEUS tuus dabit tibi, ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt, filij Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ atq; dixerunt: Eamus & serviamus dijs alienis, quos ignoratis: quare sollicitè, & diligenter rei veritate perspectâ, si inveneris certum esse, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores illius urbis in ore gladij.* *Deut. 17, 14.*

XXXI. In.



## XXXI.

Instituenda autem est cognitio causa religionis ex solâ sacrâ scripturâ, ex qua Christus convincebat Phariseos & Sadducæos *Matt. 22, 29, 44. & c.* Paulus Judæos *Act. 28, 23.* Et cum ad hunc, quasi Lydium lapidem scripta Adversariorum examinantur; ipsi audiuntur, cumq; ab hac norma discedere monstrantur, pro convictis jam habentur, & nisi errorem monstratum deposuerint, condemnatione digni fiunt, populusq; meritò, ut ab ipsis caveat, moneatur. Non est opus alijs adminiculis ad hujus rei dijudicationem, nec iudice alio ad decisionem: Ex Scriptura *D. Hieronym. in epist. ad Galat. c. 5.* etiam Conciliorũ decreta examinari jubet. *Et Chrysoſt. homil. 13. in cap. 7. post. ad Corinth. scripturam omnium exactissimam trutinam, gnomonem, & regulam nominat: Ex hac qui convincuntur, non est cur de injuria conquerantur, quasi damnentur nondũ auditi. Quicquid enim extra Scripturam est, respuere jubet August. lib. de pastoribus cap. 11.*

## XXXII.

Quintò, & hoc est extra dubium, *quin in condemnationibus nihil sit dandum privatis affectibus:* Nihil ex odio personæ, nihil in gratiam alterius, nihil faciendum privati commodi vel gloriolæ causa, quæ omnia certissimam adspargunt maculam ministerio & justâ etiam reprehensionem faciunt inefficacẽ. Non agitur hîc de uno vel altero homine, sed de verbi divini veritate, & totius Ecclesiæ salute, quo in genere nihil proficitur cõtentionibus privatis. Quicumq; ergò hac parte muneris sui cum fructu auditorum perfungi vult, ita redarguat impiam doctrinam, ut adsertoribus ejus veram conversionem ex animo precetur, & ad reducidos eos in viam nihil faciat reliqui, præsertim si in errore natos sciat. In quam sententiam scribit Chrysoſt. homil. de anathem. *dogmata impia ab hæreticis profecta, arguere & anathematizare oportet, hominẽ autem parcendum, & pro salute ejus orandum.* Et Augustinus *serm. 51. de verbis Domini in monte: Non eis irascamur, inquit, sed pro eis oremus, ut det Dominus eis intellectum, quia forte hoc nati sunt, quid est, hoc nati sunt? Hoc acceperunt à parentibus suis, quod tenent. Præponunt genus veritati: fiant, quod non sunt, ut possint servari, quod sunt, hoc est, fiant catholici, ut possint servare quod homines sunt, ut non in illis pereat creatura DEI, accedat DEI gratia, &c.*

XXXIII. Ex



## XXXIII.

Ex hoc sextum fuit, de quo non controversatur, quod nimirum ἐλεγχῶ & debita cum modestiâ & absq; convitijs in personas sit instituendus. Nihil n. proficitur convitijs in re potissimum fidei, ubi res cum re, causa cum causâ certare debebat. Convitium inquit Augustinus lib. de Amicitia cap. 13. ledit famam, caritatem extinguit. Quid scelestius improprio? qui & falsâ objectione innocentis faciem, miserando rubore perfundit &c. Quam ab causam scripta Lycambeo stylo confecta, & conciones nimis aculeatas non probamus, optamusq; ut ex utraq; parte moderatio adhibeatur. Vult n. Apostolus servum Domini mansuetum esse erga omnes, aptum ad docendum, patientem, cum lenitate corripientem, qui resistunt veritati, 2. Tim. 2. 24. Multò minus in doctoribus Ecclesiæ scurrilitatem probamus qua falsa doctrina exagitur potius quam refutatur, sæpè non sine scandalo infirmorum. In condemnationib. ergò falsæ doctrinæ, omninò necessaria est moderatio cum gravitate conjuncta.

## XXXIV.

Probè verò cavendum, ne sub schemate moderationis zelus ministrorum Ecclesiæ extinguatur: qui si est secundum scientiam, hoc est si ab ijs, qui rem intelligunt, & salutem Ecclesiæ sedulò quærunt, adhibetur, justo tempore & loco, non est improbandus, siquidem cum modestiâ ministris Ecclesiæ digna probè consistere potest, quem Paulum non tantum vult lenem esse in corripiendo, sed etiam arguere, objurgare, increpare, & quidem *Iustus zelus in redarguendo.* dure Tit. 1. 17. Oritur a. iste zelus 1. ex consideratione impietatis, quam doctrina falsa importat, 2. ex insigni periculo, quod imminet Ecclesiæ, si doctrina illa toleretur, 3. ex pertinaciâ quoq; eorum, qui monstratæ veritati cedere nolunt, sed furentes ruunt ad interitum, multorumq; animas secum rapiunt. Quæ res sanè haut immeritò pios movet, ut impietatem & pericula illa Ecclesiæ suis coloribus depingant, non tantum, ut ipsi se ab illis malis alienos esse demonstrent, sed & ut alios periculis illis facilius subducant.

## XXXV.

Voluit Christus discipulos non tantum pacem, sed & salem habere Marc. 95. h. e. ita vult illos pacem colere cum hominibus, nc



ne cum ipsis in malo colludant, sed potius debita cum severitate corripiant, quæ DEO vident adversa. Nam, ut Theophylactus super illum locum scribit: *Sicut sal carnem prohibet, & non sinit vermes procreare, ita & sermo doctoris si recens & mordax sit, carnales homines constringens, non sinit in ipsis generari vermen irrequietum.* David pro impiorum etiam conversione sæpius oravit in Psalmis suis, & tamen pertinaciam, eorum, in primis, qui falsa docebant, & inde sequentem perniciem populi sui considerans, pio zelo interdum indignatur eis, ut *Psal. 139, 21. Nonne, qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos.* Nullus Prophetarum tam mitis fuit, qui non acrimoniam aliquam concionibus suis asperferit, cum idololatriam populi reprehendit. Johannes Baptista Phariseos & Saduceos coram tota multitudine progeniem viperarum appellavit *Matth. 3, 7.* Christus ipse mitissimus ille hominum, quoties appellat Phariseos hypocritas, & quoties væ super ipsos ingeminat *Matth. 5, 2, 5: 23, 12, 14, 16* vocat eos stultos & cæcos *Matt. 23, v. 17.* doctrinam eorum vocat fermentum *Matth. 16, 12.* Apostolus Paulus, qui alias jubet malum vinci bono, *Rom. 12, 21.* Pseudoapostolos vocat operarios subdolos *2. Corinth. 11, 13.* inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, & Deus venter est, & gloria in confusione, quæ asperiora verba non ex inordinata quodam affectu eructabat, sed ex justâ indignatione, quod ab ipsis magnam in Ecclesia concisionem, per eam, quam urgebant circumcisionem fieri videbat; ideò se flentem ista scribere ait *Philip. 3, 18.* Alibi stultos vocat, qui resurrectionem carnis negabant *1. Cor. 15, 36.* & communionem S. cœnæ, quæ non secundum institutionem Christi fiebat, appellat communionem Diabolorum *1. Cor. 10, 21.*

## XXXVI.

Sed inquires, non omnes sumus Davides, non omnes Baptistæ, non omnes Christi & Apostoli: Ideò exempla illa nihil ad vulgares Ecclesiæ doctores. Fateor equidem, ratione vocationis & donorum magnum esse discrimen inter nos & illos; ratione verò elenchi non item: Omnibus enim dictum: clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. *Esa. 58, 1.* omnes perfecto odio odisse debent inimicos Christi: omnesque in ministerio omnem à veri-

C

tate





rare cælesti injuriam pio zelo propulsare debent, licet dona in ministris cernantur diversa, de quibus nihil certi decernit Scriptura: quidam enim mollius tractant Adversarios, quidam durius; omnes vult Paulus: *Ἰσσοῦσι ζῆλον* seductores, qui universas domos subvertunt, docentes, quæ non oportet. *Tit. 1, 10.* Alius Spiritus fuit in Paulo, alius in Barnabâ: Alius in Luthero, alius in Brentio: diversa hîc videas dona, unum tamen Spiritum, qui in quibusdam blandè sibilat, in alijs grande tonat. Omnia tamen, ex eodem zelo sunt, & ad eundem finem tendunt: Nullius ergò dona sunt contemnenda, & quilibet utatur suis ita, ne per ipsius negligentiam detrimenti aliquid capiat Respub. Christiana,

## XXXVII.

Qua de re præclare scribit B. Lutherus anno 1530 in præfatione Commentarij Brentiani super Prophetam Amos: *Non Brentium, inquit sed spiritum prædico, qui in te suavior, placidior, quietior est, deinde dicendi artibus instructus purius, luculentius & nitidius fluit: itaq; magis afficit & delectat.* Meus verò, præterquam quod artibus dicendi imperitus & incultus, nihil nisi sylvam & chaos verborum evomit, tum etiam eo fato agitur, ut turbulentus & impetuosus, & velut luctator cum monstris semper congregari cogatur. Itaque si licet parvis componere magna, mihi de quadruplici Spiritu *Elie 2. Reg. 19.* ventus, motus, & ignis, qui montes subvertit, & petras conterit; Tibi autem & tui similibus, sibilus ille blandus auræ tenuis, quæ refrigeret, contigit. Ita fit, ut etiam mihi ipsi, nedum alijs, gratiora sint scripta & verba vestra. Solortamen me ipsum, quod existimem, inosciam, patrem illum familias cælestem pro magnitudine suæ domus etiam opus habere uno aut altero servo duro contra duros, & aspero contra asperos, veluti malo cuneo in malos nodos. Et tonanti DEO opus est non tantum pluviam irrigante, sed etiam tonitru concutiente, & fulgore auras purgante, quò feliciter & copiosius terra fructificet.

## XXXVIII.

Quod gravissimum Lutheri iudicium primùm ijs opponendum est, qui non nisi verborum tonitrua & spicula linguæ in adversarios ejaculanda esse putant, lenitatem omnem explodunt, aliàs de se, si creditur ipsis, omnis refrixit zelus: Deinde ijs, qui non nisi verba sesamo papavereque sparsa in elencho adversa-

riorum



riorum requirunt, ne vel duriore verbulo offendantur, delicatula aures: quod si non sit, nil nisi *convitia*, *convitia*, clamitari audis. Verum, ut non omnis moderatio vitium; ita non omnis in arguendo acrimonia est convitium. Adversariorum sæpè tanta est importunitas, ut lenitate emolliri nequeat; asperitate dometur: sæpè etiam ipsa blasphemia doctrinae magnitudo verba duriora provocat, quemadmodum & Patres nonnulli, alioquin mansuetudinis laude commendati cum hæreticis durius egere. *Polycarpus* Marcionem obviam sibi factum primogenitum Satanæ appellavit, referente *Irenæo lib. 3. cont. heres. cap. 3.* *Irenæus* ipse *Valentinianos* vocat pepones sophistas vituperabiles *lib. 1. cap. 5.* *Hieronymus* *Jovinianum* statim à principio libri contra ipsum scripti, vocat barbarum, obscurum, Epicurum Christianorum &c. Quam vehementiam ipsis non affectus quidam inordinatus, sed pius zelus, & ipsorum adversariorum importunitas ac insolentia expressit.

## XXXIX.

Ut ergò concludamus, omninò à convitijs abstinendum esse censemus, sed ita ut convitium à verò zelo rectè distinguatur. Convitium fertur in innocentes, zelus in convictos: illud vitia errantis exagitat, hic potissimùm malignitatem erroris tangit: illud ex libidine maledicendi, hic ex desiderio sanandi fit: illud ex odio proximi, ut pereat, hic ex caritate, ut servetur: illud vitium est omnibus prohibitum, hic ex virtutibus ministri Ecclesiæ primarijs & necessarijs. Nam sicut *Augustinus* scribit *epist. 148. ad Valerium: Nihil est in hac vitâ & maxime hoc tempore facilius & letius, & hominibus acceptabilius, Episcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si persunctorie atque adulatorie res agatur: sed nihil apud Deum miserius & tristius, & damnabilius.*

## XL.

Cum hoc sexto, quod utrobiq; extra litem est, cohæret septimùm: videlicet errores, qui redarguntur, non esse nimium exaggerandos, ne quid vel supra fidem, vel ex maledicendi libidine dicere videamur: quæ exaggeratio, vel ratione materiae, vel ratione tēporis fieri potest. Ratione materiae quidē, si error tolerabilis, & qui in hominē etiā circūspectū cadere potuit, periculosissimis hæresib. cōfertur, licet

*Differt zelus à convitio;*



licet in nullum articulum fidei fundamentum impingat, cum tamen talia, quæ fundamentum non evertunt, spiritu mansuetudinis sint toleranda, juxta regulam Pauli, infirmos in fide suscipite, Rom. 15. v. 7. Talis error erat Cypriani de rebaptizandis ijs, qui baptizati erant ab hæreticis, & Augustini de cœna Domini infantibus porrigenda: quæ stipulæ sunt privatarum opinionum fundamento superimpositæ: in quibus quilibet dicere potest cum Augustino: *Errare possum, hæreticus non ero.*

## XLI.

Ratione temporis fit exaggeratio, cum in omnibus concionibus, etiam materiâ textus occasionem non suppeditante, errores Adversariorum acerbius perstringuntur: quod apud multos vel alicujus arrogantia, vel supina negligentia signum est, qui dum nihil, quod ædificet, domi meditati sunt, interim quicquid in buccam venit, temporis fallendi gratiâ pro concione ebuccinant, sine spiritu & vero timore Domini, quam consuetudinẽ seriõ improbandam censemus, præsertim cum coram Auditoribus imperitis fit, in pagis aut similibus locis, ubi conciones didacticæ plus ædificarent.

## XLII.

Minimè autem hæc ita accipienda sunt, quasi nunquam aut nusquam dicenda sit veritas. Si qui enim errores tam sædi sunt, ut fordes eorum vel manibus palpari queant, siq; tales adsunt Auditores, quos ista scire interest, nihil est, quod sæditatem illam ante omnium oculos statuere vetet. Sic & quæ nullo negotio demonstrari possunt in erroribus Adversariorum, impia & blasphema, cur non aperte dicantur? Præsertim cum ab Adversariis vel negentur impudenter, vel pingantur subdolè, vel extenuentur captiosè. Exempli gratiâ, Calvinianos aliqua cum Arianis habere cõmunia, aliqua cum Pontificijs, aliqua cum Svenckfeldianis, aliqua etiam cum ipso Alcorano Turcico, nulla est calumnia, sed ipsa veritas, ut restantur libri hac de re ex professo editi. Videatur *D. Philip. Nicolai, Detectio fundamentorum Calviniana sectæ cum veterib. Arianis & Nestorianis communium*, *D. Graveri Harmonia præcipuorum Calvinianorum & Photinianorum*, *D. Iacobi Heilbrunneri Svenckfeldio Calvinismus*, *D. Gesneri Papismi Calvinistici dogmatici & practici*, *Gulielmi Reginaldi Calvino Turcismus &c* Et quis hoc verum dicere vetet? imò necesse est, ut errorũ nonnullorum atrocitas suis coloribus depingatur, quoties



quoties universo mundo satis impudenter persuadere laborant, nos in fundamento cum ipsis consentire, tantum in opinionibus ac phrasibus quibusdam, imò in parte tantum aliquam articuli de Sacra, eaq; ad salutem non necessariam, esse adhuc discrepantes; quod figmento multis hactenus imposuerunt.

## XXXIII.

Eandem ob causam necessarium est, ut placita doctorum, quæ pleriq; quibus (ut de Aërio dixit Epiphanius) aures prurunt, & laxa mens est, defendunt, sed impia & blasphema, diligenter excutiantur, & quid periculi importent, si ad sensus eis præbeatur, publicè doceatur. Sæpè enim autoritas personæ præoccupat animum, qui evolutione dogmatis rectius informari potest: quæ omnia si in tempore & loco fiant, eaq; cum discretione proferantur, ut non nisi certa & explorata dicantur, neminem offendere possunt, nisi qui placencia saltem audit, & secum non rectè perpendit, injurias in verbum Dei & blasphemias apertas, quibus ipsum fundamentum fidei convellitur, & tot animæ, quas Christus Iesus sanguine suo redemit, fascinantur, nullis verbis exaggerari satis posse. Non tamen necesse est, ut hæc in omnibus concionibus fiant: nec præsentem tantum uno vel altero ex adversarijs, præsertim simplicioribus: nam intempestivus sermo, licet sit optimus, importunitate tamen suâ nocet, & ut *Gregorius* habet part. 2. past. cap. 4. *apud auditoris mentem ipsa sua utilitate se destruit, si habere importunitas oportunitatem nescit: sed mala aurea in lectis argentis est verbum dictum in tempore proverb. 25. 11.*

## XXXIV.

Septimò, libenter etiam & ultrò largimur, *integras Ecclesias damnandas non esse.* Nam in ipsis Calvinianorum Ecclesijs sæpè aures auditorum puriores sunt labijs doctorum, & ut *Hieronymus* loquitur epist. 61. ad *Pammach*: *Eadem nunc & in veteri & in novâ heresi consuetudo servatur, ut aliud populi audiant, aliud prædicent Sacerdotes.* Et singulari Dei providentiâ fieri existimamus, quod doctores Calviniani non omnia dogmatum suorum portenta publicè pro concione proponunt. Ita enim *Beza* de prædestinatione, prout ea in Calvinianorum Ecclesijs proponitur, docet in Colloq. Mompelg. pag. 534. *Non quibusvis hæc doctrina, aut temerè proponenda: sed prudenter*



considerandum & videndum cum quibus agatur, an sint hujus doctrine capaces, & ad eam rectè dispositi, hoc est, prius rectè de peccato, de lege, de justificatione fidei instituti &c. cum ergò multi in istis Ecclesiis dogmata suorum doctorum omnia nunquam cognoverint, multi etiam audita non intelligant, multi apertè contradicant, aut certè mitigari talia exoptent, utiq; condemnationes illæ non totas attingunt Ecclesias, non singula Ecclesiæ membra, ad minimum enim exempti sunt infantes, & simplices, neq; ulla Ecclesia est tam impura, quin habeat aliquod semen sanctum. Semper enim zizania sunt in medio tritici, & hæreses inter eos, qui appellantur sancti 1. Cor. 11. 19. Et septem millia, quæ non curvarunt genua coram Baal, in medio Baalitarum 1. Reg. 18. & Christus adhuc dominatur in medio inimicorum Psal. 110. 2.

## XLV.

Condemnantur igitur hæresiarchæ, qui dogmata impia ferunt, omnesq; ij, qui pertinaciter eis adherent, & monstratæ veritati non cedunt. Reliquis verò, qui ab eis seducti, vel in errore nati, & monstratæ veritati cedere parati sunt, neq; errorem suum propagare audent, haut immeritò condolemus, & ut Deus eos à jugo illo, sub quo gemunt, exsolvat, precamur. Ita n. Christus Pharisæos & Saducæos cum suâ doctrinâ damnavit, integram v. Judæorum Ecclesiam non item: & Paulus gravissimos Galatarum errores cum suis propagatoribus damnavit Gal. 1, 7, 8. ipsam tamen Ecclesiam amavit; seductores, & turbatores excindi voluit Gal. 5. 12. ipsi tamen Ecclesiæ optimè precatur cap. 6. 18. & aliquos in eâ fratres agnoscit, cap. 6. 1. potest enim hæresis à seductis separari, ab hæreticis autem non item. Quam ob causam Augustinus etiam ejusmodi seductos simplicesq; homines ab hæreseos crimine, adeoq; etiam à condemnatione absolvit, Epist. 162. Qui sententiam suam, inquit, quamvis falsam atq; perversam nulla pertinaci animositate defendunt, sed à seductis, atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt, querunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.

Sic



## XLVI.

Sic cum nonnulli offenderentur condemnationibus falsæ doctrinæ, quæ habentur in Formula Concordiæ, prætendentes, integras damnari Ecclesias, & tota regna, non tantum Theologi maturè in conventu Tangermundensi se satis rotundè explicarunt, quod condemnationibus suis nequaquam integras Ecclesias, multò minus regnum ullum perstringant, sed impiam doctrinam, & pertinaces ejusdem defensores: verum etiam repeterunt hoc Electores atq; Principes solenni protestatione, quam præfationi in Formulam Concordiæ inferi curarunt his verbis: *Ad condemnationes, reprobationes & rejectiones impiorum dogmatum, & ejus præsertim, quod de Sacra Cena extitit, quod attinet: hæc fanè in hac nostra declaratione, & controversarum articulo- rum solidà explicatione & decisione, expresse & distinctè, non solum eam ob causam, ut universi sibi ab his damnatis dogmatibus caverent, omnino proponende fuerunt, sed ob alias etiam quasdam rationes nullo modo prætermitti potuerunt. Sic ut nequaquam consilium & institutum nostrum sit, eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemii in veritatem doctrine cœlestis sunt, multò vero minus totas Ecclesias, quæ sub Romano Imperio nationis Germanicæ, vel alibi sunt, damnare. Quin potius mens atq; animus noster fuerit, hac ratione fanaticas opiniones, & earundem pervicaces doctores & blasphemos duntaxat, (quos in ditionibus, Ecclesijs, & Scholis nostris nequaquam tolerandos judicamus) palam reprehendere & damnare, quod illi errores expresso verbo Dei repugnent, & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant. Deinde etiam eam ob causam hoc suscepimus, ut p̄ omnes de his diligenter vitandis, monerentur. Nequaquam enim dubitamus, multos pios & minimè malos homines, in ijs etiam Ecclesijs, quæ hætenus non per omnia nobiscum senserunt, reperiri, qui simplicitatem quandam suam sequantur, & negotium quidem ipsum non probè intelligant, sed blasphemias, quæ contra sacram Cenam (quemadmodum ea in Ecclesijs nostris secundum institutionem CHRISTI dispensatur, & juxta verba testamenti ipsius magnâ bonorum omnium consensione docetur) evomuntur, nullo modo probant.*

Ex





*Requisita le-  
gitimæ con-  
denationis.*

## XLVII.

Ex his omnibus, quæ hæctenus in hac dissertatione extra controversiam posuimus, requisita quædam legitimæ condemnationis extrui possunt, quæ semper ante oculos eorum esse oportet, qui hac parte muneris sui in Ecclesia ritè perfungi volunt. 1. In condemnationibus nemini fieri debet injuria, nihil affingendum alijs, sed candidè fiant omnia. 2. Damnentur certa & explorata. 3. Et de quibus convicti sunt Adversarij, quod sint falsa impia & blasphema. 4. nihil fiat ex privato & inordinato affectu, non tam ut confundantur errantes, quam ut emendentur, & errorem alij cavere discant. 5. modus adhibeatur: & in primis textu scripturæ sic postulante ἐλεγχῶ usurpetur. 6. abstinenceatur à convicijs. 7. & parcatur integris Ecclesijs, in quibus sunt multi seducti & simpliciores, qui spem emendationis faciunt.

## CAPUT TERTIUM.

*Quod Ministris Ecclesiæ falsa dogmata & eorum propugnatores nominatim arguere liceat.*

## XLVIII.

Hoc modo institutæ condemnationes tam falsæ doctrinæ quam ipsorum doctorum & propugnatorum, sive fiant in publicis scriptis, sive pro concione ad populum, nequè à ministro Ecclesiæ sincero & fideli intermitteri possunt, nequè à Magistratu Christiano prohiberi debent, si uterq; suo satisfacere vult officio: id quod sequentibus demonstro argumentis, initium faciens ab Ecclesiæ ministris.

## XLIX.

1. Familiam hoc in genere ducit severissimum Dei mandatum in veteri Testamento. Nam Ezech. 3. 17. dicit Dominus ad Prophetam: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium morte morieris, non annuntiaveris ei, nequè locutus fueris, ut avertatur à viâ*



viâ suâ impiâ & vivat: ipse impius in iniquitate suâ morietur, sanguinem autem ejus de manu tuâ requiram. Generalis hæc est sententia, quæ Prophetæ curam committit animarum, ne seducantur, sive seductio fiat impiâ doctrinâ, sive reprobâ vitâ. Utrobiq; speculatorem jubet esse Dominus Prophetam, & præmonere homines, ne decipiantur, quod fieri non potest, nisi, à quibus deceptionis periculum metuendum, indigentur.

L.

Quam ob causam Origenes homil. 7. super Esaiam Episcopum vocavit oculum Ecclesie, quia speculator est, & inspector, qui hostem etiam procul venientem animadvertere, & indicare debet, ne quid detrimenti capiat Ecclesia Christi. Qui ergo q. oculis clausis nihil vident, impia dogmata paulatim serpere sinunt, nihil contradicunt, nec, quinam ij sint, qui ea disseminant, dicere audent, metu offensionum & periculi, hi speculatores cæci sunt, indigni munere tam sancto, & immorigeri divino mandato: de quibus gravissimè conqueritur Dominus Esai. 56. 10. 11. Speculatores istius cæci, quotquot sunt, non agnoscunt, quotquot sunt, canes sunt muti, non possunt latrare, tempori serviunt, jacent, amant dormitationem. Et isti canes avidissimi non norunt saturitatem, propterea ipsi pascunt se, nesciunt docere, quotquot sunt, ad viam suam se convertunt, quisq; ad lucrum suum, ab extremitate illius unâ ad alteram,

LI.

Specialius mandatum Dei extat. Deut. 13. 12. seqq. contra eos, qui idololatria populum seducunt, quos & inquirere, & causâ cognitâ e medio tollere jubet Dominus. Si audieris inquit, in unâ urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filij Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ, atq; dixerunt: Eamus & serviamus Dijs alienis, quos ignoratis: quære sollicitè, & diligenter rei veritate perspectâ, si inveneris certum esse, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores urbis illius ore gladij &c.

D

Non





## LII.

Non nego, legem hanc loqui de istis apostatis, qui à vero Deo planè deficiunt ad idola gentium: inter quos & illos, qui in aliquibus fidei Christianæ capitibus errant, discrimen libenter agnoscimus. Fateor etiam, legem loqui de pænâ capitali infligendâ apostatis, qui rigor hodie nos non obligat, sed Reipubl. Hebræorum specialis erat, ob causas, quas *disputatione de hereticis th. 75. & sequ.* indicavi. Illud tamen universale est, quod in eos, qui populum in religionis negotio seducunt, sit inquirendum, quodq; convicti sint puniendi: Unde sponte sequitur, quod & redarguendi & nominandi sint, quomodo aliàs puniri possunt?

## LIII.

2. Accedit secundo loco mandatum Christi in Novo Testamento, qui caveri vult Pseudopphetas *Matth. 7. 25.* quod generale est, omnes concernens in Ecclesiâ, quia omnibus datum est verbum, quod ne eripiatur incautis, providendum. Ministrorum verò verbi est, ostendere notas Pseudopphetarum, describere lupum, & nominare fures, qui deprædantur animas hominum, ut caveri queant. Non enim, quales sunt, apparent, sed in angelum lucis transfigurati, & ut Christus loquitur, sub pelle ovium. *Non ostenditur per se impostura, ne nuda deprehendatur, sed amictu verisimili callide ornata, ita ut imperitioribus videatur externâ specie veritate ipsâ veriore se exhibere,* inquit Irenæus in præfat. lib. 1. adversus hæres. *Christianismum simulant, & contra Christum in pugnam descendunt,* inquit Athanas. *orat. 2. cont. Arian.* unde & omnia ipsorum verba suspecta esse scribit *orat. 4. Et sicut piratæ solent in mari in locis vadosis, occultisq; scopulis perobscurum noctis lumen accendere, quo navigantes sub spe confugiendi ad portum salutis, ad naufragium perditionis invitent: ita & istud lumen falsæ sapientiæ, vel falsæ fidei, à demonibus accenditur, non per quod evadant, sed per quod pereant homines mundi hujus pelagus navigantes,* scribit Origenes in *cap. 14. Rom.* Ut ergo præcepto Christi satisfiat, non potest Ecclesiæ minister ad impia dogmata connivere, sed quæ ipse cognovit pestifera & noxia, auditoribus quoq; suis agnoscenda præbeat, ne pereant seducti.

Cum



## LIV.

3. Cum his ipsius Dei mandatis consentiunt præcepta Apostolica. Nam Divus Paulus non tantum falsam doctrinam argui vult ab Ecclesiæ ministro, sed & qui eam proponunt, aliosq; seducunt. Rogo vos fratres, inquit, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Rom. 16. 17. Hic praxin monstrat, quomodo cavendi sint Pseudoprophetæ, nimirum ita ut observentur, & vitentur. Ita vult Timotheum corripere eos, qui resistunt veritati, ut Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, 2. Tim. 2, 25. & epist. 2. cap. 4, 1. seqq. cum provocatione ad novissimum iudicium hortatur: Testificor coram Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est vivos & mortuos, & per adventum ejus, & regnum ipsius, prædica verbum, instæ oportune, importune, argue, obsecra, increpa cum omni patientiâ & doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed auribus prurientes ad sua desideria coacervabunt sibi doctores, & à veritate avertent aures. Sic ad Titum scribit; sunt multi seductores, qui universas domos subvertunt, docentes, quæ non oportet, quos oportet redargui. Tit. 1. 10. & iterum v. 13. quam ob causam increpa ILLOS durè, ut sani sint in fide. Timotheum quoq; ideò se reliquisse Ephesi scribit, ut denunciaret Pseudoapostolis, ne aliter docerent 1. Tim. cap. 1. 3. ubi non saltem ἐπεροδιδασκαλίαι sed ipsos ἐπεροδιδασκαλῆντας vult redargui.

## LV.

4. Requirit hoc insuper omnium sincerorum Ecclesiæ doctorum officium, cuius bona pars est ἐλέγχειν τὰς ἀνὴλέγους Tit. 1, 9. unde & ipsa scriptura utilis esse dicitur πρὸς ἐλέγχον 2. Tim. 3. 16. Et cum ministerium verbi sit ministerium Spiritus 2. Cor. 3. 8. ideò Christus ipsi Sp. S. tribuit, quod arguat mundum de peccato incredulitatis Io. 16. 8, 9 quod omne dogma repugnans veritati cælesti complectitur, Quam partem sui muneris sedulo inculcat Apostolus Episcopis Ecclesiæ Ephesinæ Act. 20. 28. ut nimirum diligenter attendant sibi & universo gregi, quia post discessum suum ingressuri sint lupi graves, non parcentes gregi, & inter ipsos surrecturi viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Est a. ἐλέγχειν ille nihil aliud, quàm condēnatio impiæ doctrinæ, & propugnatorū ejus,



qui verbum Dei pertinaciter impugnant, & ut Paulus loquitur, 1. Timot. 6. 3. aliter docent, & non adquiescunt sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & quæ secundum pietatem est doctrinæ.

## LVI.

Officij hujus ratione Ecclesiæ Doctores præclara habent nomina in scriptura: Vocantur 1. Pastores, Ierem. 3. 15. quibus duo commissi sunt baculi, unus vocatur Noah, alter Chobelim, Zachar. 11. 7. illo pascunt oves, hoc arcent lupos: quod si non fecerint, ex ore Christi mercenarij fiunt, qui veniente lupo, relictis ovibus, fugiunt, Iohan. 10. 12. Nam silentium instar fugæ est: de quo Augustin. trac. 46. in Iohann. *Lupus ovi guttur apprehendit, diabolus fideli hæresin persuasit, tu taces, non increpas, ne forte offendas. O mercenarie, lupum vidisti, & fugisti; respondes forte, ecce hic sum, non fugi: fugisti, quia tacuisti, tacuisti quia timuisti.* 2. Architecti vocantur Psal. 118. 2. qui laborant in ædificanda Ecclesiâ, quæ est spirituale templum Dei Zachar. 6. 12. 1. Cor. 3. 16. & domus Dei, 1. Tim. 3. 15. ergo non tantum ædificent, sed & ijs, qui ædificata destruunt, masculè resistent, & destructa instaurent. *Qualis enim hæc est ædificatio, inquit B. Lutherus in comm. super cap. 5. prioris Petri, congerere lapides, & ut ab alijs destruantur, permittere?* 3. Vigiles sunt, vigilant enim pro grege Domini, quasi rationem aliquando pro animabus Auditorum redditur; Hebr. 13. 17. non ergo claudant oculos ad irruptionem furum & latronum, nec coniventibus oculis eam adspiciant, sed in clamando resistent. Male enim prospectum est civitati, cum vigiles vel dormiunt, vel cum hoste colludunt. 4. *Canes latrantes* appellantur Esaj. 56. 10. latratu ergo suo arceant lupum, unde est illud Hieronymi: *Canes latrant pro Domino suo, & tu non vis me latrare pro Christo?*

## LVII.

Quicumque igitur vel ex metu periculi, vel aucupandi favoris gratiâ, impiam doctrinam, quam verbo Dei adversari norunt, non attingunt, vel in genere saltem & molli brachio tractant, ubi, & à quibus, ea tradatur, dicere nolunt, hi officio suo ritè non funguntur, Sp. S. munus impediunt, & indigni sunt, qui in ministerio vivat.

Unde



Unde & in Scripturâ malè audiunt, vocantur speculatores cæci, & canes muti *Esa. 56, 10.* idola, quæ derelinquunt gregem *Zach. 11, v. 17.* tepidi, quos Dominus ex ore suo sit exspuiturus *Apoc. 3, 16.* & ejusmodi adulatoribus in ministerio nihil apud DEUM esse miserius, tristius, & damnabilius, supra ex Augustino audivimus, quia DEUS sanguinem eorum, qui in impietate suâ pereunt, quosque ipsi neglexere, de manu ipsorum requiret. *Ezech. 3, 18.*

LIX.

5. Nec defunt exempla eorum, qui hac parte muneris sui ritè sunt perfuncti, quos, nisi extremè impudens, alicujus convitij, aut *Φιλονεικίας* nemo accusaverit. In Veteri Testamento, Moses nō parcat Aaroni, idololatræ, licet fratri, & Pontifici summo *Exod. 32, 21.* Elias magno zelo aggreditur Baalitas, licet propterea turbator Israelis audiret. *1. Reg. 18, 17.* Esaias sacerdotes Domini ab officio suo declinantes cæcos vocat, & impudentissimos canes *Esa. 56, 10, 11.* Jeremias à Prophetis Jerusalem pollutionem exijisse super omnem terram scribit, *Ierem. 23, 15.* Prophetas Samariæ & Jerusalem, ut & Hananiam, Achabum, filium Colajæ, & Zedekiam, filium Maseiæ, Pseudopphetas nominatim perstringit, *cap. 23, 13, 15: 29, 8, 21.*

LIX.

6. In Novo Testamento, Christus Phariseos & Scribas nominatim increpat, ut lupos rapaces *Matth. 7, 15.* cæcos cæcorumque ductores *Matth. 15, 14.* fures & latrones *Ioh. 10, 8.* hypocritas *Matth. 15, 7: 22, 18.* filios gehennæ, super quos & væ suū aliquoties ingeminat *Matth. 23, 13, 14, 15, 16.* quæ sane gravissima erat dogmatum Phariseorum & ipsorum dogmatistarum condemnatio. Johannes Baptista, non solum nominatim eos redarguit, sed & genimina viperarum vocat *Matth. 3, 7.* D. Paulus Pseudoapostolos non modo verbis satis asperis tractat, *2. Corinth. 11, 13. Phil. 3, 18.* verum etiam Hymeneum & Philetum nominatim damnat *1. Tim. 1, 20.* & in Actis non veretur ad Episcopos Ephesinos dicere: ex vobis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se *Actor. 20, 30.* D. Petrus suo quoque calculo damnat falsos doctores, quos vocat Pseudopphetas, magistros mendaces, qui introducunt sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant. *2. Pet. 2, 1.*

D 3

D. Johan-





D. Johannes hæreticos vocat Antichristos 1. Iohan. 2, 18. præsertim eos, qui solvunt Jesum, 1. Iohan. 4, 3. & in Apocalypsimeminit eorum, qui sunt de Synagoga Satanæ, qui dicunt se Judæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Apoc. 3, 9.

## LX.

7. Inprimis verò notatu digna est severitas Apostoli Pauli adversus eos, qui pulcerrimam Ecclesiam Galatarum disturbarunt, de quibus sine discrimine dicit: *qui conturbat vos, iudicium suum portabit Gal. 5, 10.* & iterum: *Utinam & abscindantur, qui conturbant vos, v. 12.* Fulmen hoc condemnationis Apostolicæ tangit eos, qui Ecclesiam illam circumcisionis causa lacerabant, quasi ea ad salutem sit necessaria, & quamvis *Paræus in lect. 63.* existimat, hanc interpretationem Apostolicam non esse ad regulam revocandam: nullam tamen hujus opinionis rationem videmus. Nam indignatio justa pro gloria DEI & Ecclesiæ salute contra turbatores ejus decet omnes qui Jesum Christum, sincerè amant: qui amor esse non potest sine detestatione hostium Christi. Pro nostra sententiâ militat *Theophylactus*, qui scribit, *observandum esse contra abscindentes seipsos, quod Apostoli execrationem ad sese attrahant.* Ergò sententiam Pauli ad similes turbatores applicandam esse censuit, qui & hoc in loco discrimen notavit, quod inter seductos & seductores in officio elenchico observandum est, *Nam eos, inquit, qui decepti fuerat stultos initio vocavit, nihil aliud agens, quàm quod veluti pueros increparet: impostores autem ipsos, tanquam incurabili morbo laborent, execratur.*

## LXI.

Huc pertinet etiam, quod Divus Paulus anathemate ferit seipsum & angelos, si aliud Evangelium, quam jam ab ipso prædicatum fuerit, annunciaverit *Gal. 1, 8.* idque secundà vice repetit *v. 9.* ne arbitrentur, ab ira aut animi commotione correptum hæc ipsum dicere, sed cum iudicio firmiter & solidè stabilientem ac decernentem sic præferre, ut *Theophylactus* observavit. Quod sanè vivum est exemplum, quod doctrina ab Evangelio Christi aliena non tantùm improbanda, sed & anathemate digna sit: nam *qui non est mecum, contra me est*, inquit Christus *Luc 11, 23.*

## LXII. 8. Ad



## LXII.

8. Ad hoc exemplum Cyrillus anathematismos scripsit contra Nestorium in Concilio Ephesino: & Patres reliqui in diversis Concilijs anathematizarunt Arium, Eutychem, Macedonium, Pelagium, & alios hæreticos. In primis verò nobilis est canon undecimus Concilij Constantinopolitani V: *Si quis non Anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychem & Origenem, cum ipsis eorum scriptis, & omnes alios hæreticos, qui condemnati sunt, & anathematizati à sancta DEI Catholica & Apostolica Ecclesia, vel prædictis sanctis 4. Concilijs: sed & eos, qui similia cum prædictis hæreticis sapuerunt, aut sapere noscuntur, & usque ad finem permanserunt, in propria impietate, talis anathema sit.* Et Can. 13. ejusd. Concil. dicitur: *Si quis non anathematizat impiissime conscripta, & eos, qui similia his sapuerunt vel sapiunt, sed & omnes, qui contra rectam fidem scripserant, aut contra beatæ memoriæ Cyrillum, vel 12. ejus capitula, & in impietate defuncti sunt, tales anathema sunt.*

## LXIII.

9. Ad Exemplum Pauli Augustinus e tiàm in genere omnes à recta fide abducentes anathemate ferijt. lib. 3. cont. lit. Petiliani cap. 6. *Si quis, inquit, sive de Christo, sive de ejus Ecclesiâ, sive de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, non dicam, si nos, sed quod Paulus adjecit, si Angelus de cælo vobis annunciaverit, præterquam quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit.*

## LXIV.

10. Exempla hæc Apostoli Pauli & primitivæ Ecclesiæ secuti majores nostri in formulâ concordiæ, errores Antitrinitariorum, Nestorianorum, Eutylianorum, Pelagiorum, Manichæorum, ut & Svvencckfeldianorum, Flacianorum, Sacramentariorum, Anabaptistarum, & similibus damnarunt, neque quidquam videmus, quid hac in re jure culpari queat: nam quæ ab Adversarijs objici solent, paulò post considerabimus.

## LXV.

11. Quid, quod & ipsi Calviniani à condemnationibus non



non abstinere? non dicam, quod veteres hæreticos, & hodiernos Pontificios damnant, tanquam AntiChristi satellites, in quos interdum etiam ad sanguinem usque animadvertunt: in nos quoque, quos, dum delicias faciunt, per jocum fortè fratres nominant, non saltem anathematismos, sed & omnia dira conjiciunt. Quoties enim nos Capernaismi, Nestorianismi, Marcionismi, & aliarum teterrimarum hæresium insimulant, nihil aliud faciunt, quam quòd nos conscriptis quasi anathematismis condemnant, Et an non satis atroces sunt condemnatores, cum *Beza* Lutheranos tanquam monstra hominum in Germania diutius non ferendos scribit epist. 69. anno 1572. cum *Hermannus Rennecherus* in libello suo de vero Antichristo c. 36. nos Lutheranos instar Antichristi vitandos monet, cum *Georgius Hanfeld* in suo Hodæporico germanico p. 411. scribit, Ubiquitarios æternum damnari, quia novum Deum in humana Christi naturâ colant: cum *Anhaldini* Theologos Wittebergenses idololatrias, inimicos filij DEI, discipulos Antichristi, hypocritas Gergesenos nominant; cum *Maurit. Neodorp.* in *Luthero* Orthod. p. 517. Lutheranos vocat doctores insanos, diabolos, pessimos Christianæ fidei hostes, Pseudoapostolorum discipulos, nihil meliores Pontificios, Epicureos, impios & veros gentiles: cum *Paræus* furijs infernalibus Theologos nostros adjudicat, in Colloq. Swabacensibus. Et quantæ debachationes in nostras Ecclesias in jam allegatis & multis alijs ipsorum scriptis & concionibus audiantur, plus quam notum est. Ecquid ergo nostrum de erroribus suis iudicium reformidant? cum ipsorum more, neque famæ ipsorum politicæ, neque vitæ aut fortunis nocere quisquam nostrum cupiat: modò liberum nobis sit, dicere, quid Scriptura S. de ipsorum erroribus sentiat, neque enim cogere nos possunt, ut benedicamus, quibus DEUS in verbo suo maledicit.

## LXVI.

12. Denique & hoc considerent ministri Ecclesiæ, quod species apostasiæ sit, damnare nolle eam doctrinam, quam in conscientijs nostris scimus falsam impiamque esse. Ita enim facto negamus, quod conscientia approbamus, quod hypocritarum est, qui quoties impiæ doctrinæ abblandiuntur, toties Evangelium Christi abne-



abnegat. Certè quicquid fit dubitante conscientia, peccatum est. Neque hinc moramur stultam nonnullorum sapientiam, qui apostasiam tantum esse putant totalem defectionem à fide Christi ad gentilismum. Scimus enim apostasiam ab infidelitate distinctam præcessurum novissimum diem ut Paulus docet 2. *Thes.* 2, 4. & quosdam novissimis temporibus discessuros à fide 1. *Tim.* 4, 5. non sanè prorsus infideles, sed qui prohibent nuptias, & esum carniū per hypocrisin, singularis sanctitatis specie, quod infidelium nemo fecit. Sic Tertullianus opponit *Apostaticum* & *Apostolicum* lib. 4. cont. *Marcion.* c. 5. unde colligitur, eum, qui discedit à fide Apostolicā esse apostatam, licet non fidem omnem abnegaverit, sicut Marcion vocatur à Tertulliano *apostata* & *hereticus*, qui tamen erat infidelis aut paganus, testa *Tertull.* lib. 1. cont. *Marcion.* cap. 1. & hoc sensu discipuli Pauli dicunt se audivisse, Apostolum *ἀποστασίαν* à Mose docere, cum prohiberet circumcisionem *Actor.* 21, v. 21. licet non ignari, quod in reliquis secundum legem Mosis viveret ac doceret.

## LXVII.

Sed hæc *ὡς ἐν παρόδῳ*. Sufficiant ista quæ hætenus diximus, de fidei Ecclesiæ ministro, ne in ullius hominis gratiam sibi os obligari sinat, dum impia doctrina, & ejusdem propugnatores arguendi sunt. Pluris hinc sint mandata DEL, Christi & Apostolorum, moveant exempla aliorum Ecclesiæ doctorum, in quæ veluti in τύπον quendam eos videre decet, urgeat denique propria conscientia. Quæ omnia longè majus pondus habent, quam quæcunq; ab Adversarijs in contrarium afferri possunt. Hætenus igitur de argumentis, cur Ecclesiæ ministri *ἐλέγχον* falsæ doctrine & doctorum nominatim omittere non possint: jam paucis cur magistratus pius prohibere non debeat.

## CAPUT QUARTUM.

*Quod Magistratus ministris Ecclesiæ, ut falsa dogmata, & eorum propugnatores publicè & nominatim redarguant, prohibere non debeat.*

E

68. i. Ubi





## LXIIIX.

r. Ubi primum omnium magistratum Christianum expendere petimus, quod Scriptura semper impietatis notam esse iudicavit, Ecclesiæ doctores in officio suo elenchico impedire, quæ res nunquam fuit impunita. Cum Propheta Michæas Regi Achabo diceret, dedisse Dominum Spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum, qui ei bellum contra Syros suadebant, ægrè hoc ferebat Rex, & permittere potuit, ut propterà percuteretur Michæas, à Sedeciâ Pseudopropheta, quin & ipse Rex Prophetam Domini carceri compegit, & pene doloris & aqua angustia cibavit, nullam aliam ob causam, quam quod durius contra Pseudoprophetas locutus fuisset, sed in illo ipso prælio Rex perijt, Michæas carcere suo liberatus fuit, Pseudopropheta in mendacio deprehensi sunt 7. Reg. 20, 23. & seqq.

## LXIX.

Cum Propheta Jeremias gravissimè redargueret Pseudoprophetas, qui loquebantur visiones cordis sui, non de ore Domini, nonnullos etiam nomine suo exprimeret, & tanquam seductores populi, quos non misisset Dominus, quiq; populo nihil profecerent, noluit hoc ferre populus; ideo hunc Prophetæ zelum vocabant Onus, planè sicuti hodie vocatur *Clamor & Convitium*, quin & insidias vitæ ejus struedant, ita ut DEUS ipse moneret eum: *ne credas eis, cum locuti tibi fuerint bona Jerem. 12, 6.* Sed DEUS ipse hanc impietatem populi acerrimè reprehendit, & nequam voluit, ut hujusmodi ἄλογος Jeremiæ appelletur Onus, eoq; solo nomine populo & civitati eorum exitium minatus est. Ita enim dicit Dominus: *Quid dicit Onus Domini, visitabo super virum illum, & super domum ejus. Hec dicetis unusquisque ad proximum & ad fratrem suum, quid respondit Dominus, & quid locutus est Dominus: Et onus Domini ultra non memorabitur, quia onus erat unicuiq; sermo ejus, & pervertistis verba DEI viventis, Domini exercituum DEI nostri: Hæc dices ad Prophetam: Quid respondit tibi Dominus? Et quid locutus est Dominus? Si autem onus Domini dixeritis: Propter hoc hæc dicit Dominus: quia dixistis sermonem istum, Onus Domini, & misit ad vos, dicens, nolite dicere, Onus Domini: Propterea ecce ego tollam vos portans, & derelinquam vos, & civitatem quam dedi vobis, & Patribus vestris à facie meâ:*



705.  
mea: Et dabo vos in opprobrium sempiternum, & in ignominiam eternam, quæ nunquam oblivione deletur. Ierem. 23, 40.

LXX.

Idem accidit Populo DEI tempore Esaiæ, cum diceret Prophetis, Nolite videre, & adspicientibus, nolite adspicere nobis ea, quæ recta sunt: Loquimini nobis placentia: videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel: tunc maxima mala interminatus ei est Dominus. Hæc dixit sanctus Israel: pro eo quod reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumniâ & in tumultu, & innixi estis super eo, propterea erit vobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens, & reposita in muro excelsa, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus. Esa. 30, 10. seqq.

LXXI.

Reliquorum Prophetarum tempora etiam tulerunt hujusmodi delicatulos, qui audire noluerant, cum durisculè nonnihil loquerentur Prophetæ: vocabant hoc litigium & stillicidium: Sed propter hoc ipsum gravissimis se involvebant pænis. Oseas de suis hominibus scribit: Vir non litiget, & non arguat, populus enim tuus, sicut hi, qui contradicunt sacerdoti, & corrueat hodie, & corrueat Prophetæ tecum. Ose 4, 4. Amosum nolebant aliquid durius dicere contra Idololatriam: sed quid ipse? Tu dicis, inquit, non prophetabis super Israel, & non stillabis super domum idoli. Propter hoc hæc dicit Dominus: Uxor tua in civitate fornicabitur, & filij tui, & filie tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo dividetur, & tu in terra pollutâ morieris, & Israel captivus migrabit de terrâ suâ Amos 7, 10, 17. Michæas etiam talia expertus est, ita ut optaret, se non habere spiritum, & mendacium potius loqui, cum populus audire nollet veritatem. Mich. 2, 11. & cum populus sibi ipsi blandiretur, quasi minæ Prophetæ essent fulgura ex pelvi, ipse monuit, ne irrideant Deum, qui cum bonis bonus erit, & cum perversis pervertetur: Ne loquamini, inquit, non stillabit super istos, non comprehendet confusio. Dicit Dominus Iacob: numquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes ejus? Nonne verba mea bona sunt cum eo qui rectè graditur? Mich. 2, 6, 7.

LXXII.

Nihil novi est sub sole: ejusmodi voces, quas Prophetæ locis adductis reprehenderunt, etiam nū audiuntur. Nam impietas semper impatientissima est correptionis. Sed cum Magistratus custos





fit utriusq; tabulæ, cuius præcipua cura est, ut verbum D E I cur-  
 rat absque offensâ, & opulenter inter nos habitet, quod nisi im-  
 piæ doctrinæ os obturetur, fieri non potest; utique officij sui esse  
 meminerit, curare, ut ministri Ecclesiæ falsam doctrinam, & ad-  
 fertores ejus seriò redarguant, & hoc in genere officium suum fa-  
 ciant, sicut in conscientia suâ defendere possunt. Cogitent, quod  
 Spiritus S. officium sit, arguere mundum de incredulitate *Iob. 16, 9,*  
 quod, cum per ministerium fiat, quid aliter faciunt, qui reprehen-  
 sionem falsæ doctrinæ & doctorum, per quos ἀπιστία illa in mun-  
 do propagatur, inhibent, quam quod Spiritui S. capistrum injicere  
 audent? quæ sanè res magnarum calamitatum in Rebus pub. cau-  
 sa est, quemadmodum exempla populi Israelitici, ut & recentia  
 nonnulla testantur, licet mundus ad ea ferè cæcus sit.

## LXXIII.

2. Deinde consideret pius Magistratus, quod inhibitio legiti-  
 marum condemnationum in Ecclesiâ, hoc est, ἐλεγχῶ falsæ  
 doctrinæ & doctorum, nihil aliud sit, quam impietatis istius pro-  
 pagatio, Nam dum Per magistratus inhibitionem impijs illis do-  
 ctoribus nemo nominatim resistere, nec impietatem illorum de-  
 tegere audeat: Satis impune grassatur impietas, & tanquam illu-  
 vies aliqua noxia, ruptis aggeribus, totam tandem inundat Ec-  
 clesiam, quod exemplum Arianismi in primitivâ Ecclesiâ nimis  
 clarè docuit. Nam cum Ariani suos haberent patronos in aulis,  
 qui, ne sectæ illi, donec res in Concilio decideretur, Orthodoxi  
 resisterent, impetrabant; cum nonnulli ex Orthodoxis, metu  
 Imperatoris, nimis essent tepidi; cum fortissimus ille Veritatis  
 assertor Athanasius in exilium pelleretur, & post reditum denuò  
 tumultus & seditionis in urbe Alexandrinâ excitatæ accusaretur,  
 teste *Socrate lib. 2. Ecclesia. histor. capit. 5.* hinc factum, ut pestilentif-  
 sima ista hæresis instar cataclismi universum Orientem iuvade-  
 ret, & totus orbis Christianus miraretur, se tam subitò factum  
 Arianum.

## LXXIV.

Ita fit, cum Magistratus ad instinctum nonnullorum Politico-  
 rum, ad mandata Inhibitoria hoc in genere nimis facilis est:  
 quæ res multarum animarum, quas J E S U S Christus pretioso  
 suo



suo sanguine redemit, præsentissimo periculo non caret. Philip-  
 pus Macedonum Rex, cum Athenas obsideret, misit ad civita-  
 tem Legatos, qui dicerent: *Date mihi Oratores decem, quos ipse elegero* (illi enim Rempub. vestram perturbant) *& ego ab obsidione cessabo, atq; amicitias vobiscum faciam.* Cujus postulato Demosthenes sic respon-  
 dit: *Lupi pastoribus aliquando sic dixerunt: omnis discordia, quæ inter nos & vos agitur, propter canes vestros exorta est: eos si nobis tradere vultis, arcto vobiscum amicitia fœdere conjungemur: Illis ergo traditis, dum somnum pastores caperent, lupi gregem invadunt, & quotquot volunt, devorant, ut est apud Plutarchum in Demosthene.* Eodem stratagemate utuntur hodie politici nonnulli, qui ut veneno sacramentariæ doctrinæ Ecclesiam aliquam expugnent, omnem movent lapidem, ut à Magistratu os obturetur sinceris Ecclesiæ Doctoribus, tanquam turbatoribus (qualis scil. Elias erat 1. Reg. 18. 17.) qua ratione eos antevertere volunt, quibus divinitus mandatum sciunt, *ἐπισημίζεν* seductores, docentes, quæ non oportet. Tit. 2. 10. quibus suggestionibus sanè pius Magistratus parère non potest, nisi publicæ seductionis quam plurimorum participem se facere velit.

LXXV.

3. Adde, quod ejusmodi inhibitiones Epicureismum sapiunt, quasi perinde sit, quam quisq; religionem sectetur, modò mutua pax & concordia politica conservetur. Nam si impiæ doctrinæ contradicere, eamq; impietatis damnare non licet, cur non apertè eam profiteamur, hominesq; in ista impietate salvari posse credimus? & si nemo est, qui fanaticum aliquem aut Arianum, aut similem hæreticum arguere audeat, ne pax turbetur publica, quid obstet, quin errores suos liberè spargat, imò nihil erit tam absurdum, impium aut blasphemum, quod non persuaderi possit ijs præsertim, qui novitatis studiosi sunt, & ad errandum proclives, dum cuilibet pro lubitu in rebus fidei statuere permittitur, nemine redarguente. Longè aliter Spiritus S. qui vult, ne cuivis Spiritui credamus, sed probemus Spiritus, num ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum, 1. Joh. 4. 1. in ista verò proba preciosum à vili est separandum, quod qui non faciunt, ministri Dei esse non possunt. Ita enim dicit Dominus ad

E 3 Jeremi-





Jeremiam : Si separaveris preciosum à vili , quasi os meum eris , convertentur ipsi ad te , & tu converteris ad eos , Jerem. 15, 19.

## LXXVI.

Viderint ergò quid faciant. qui separationem istam admittere nolunt, sed magistratui persuadent, nihil referre, sive quis Calvinianæ, sive nostra religioni sit addictus, Ecclesiæ quoq; doctoribus persuadere audent, se in arguendis Calvinianis frustra laborare. Quæ ratione Satan regnum suum egregiè amplificat, & per cuculculos aggreditur, quos aperto Marte expugnare non potest. De quo stratagemate præclare scribit Chrysostomus orat. 2. de providentiâ: *Quemadmodum in bello, inquit, milites strenuos, atq; animam profunderè paratos inimicus conspiciens qui nulla eos ratione lædere queat, neq; à studio in Regem remove, neq; ad timorem traducere, neque machinis superare potest, hac via tamen suadendo corrumpit, frustra illos ac temerè tãtos suscipere labores, ut sic robur labefactet, animi robur extinguat, & à bellicis curis amotos, nudos, & inermes cernens captivos trahat: Sic & Diabolus facit. Posteaquam videt DEI gratiã gentilium ( Sacramentariorum) errores passim irrideri, sermones de pietate ubiq; acceptissimos esse, magnam impietati depulsionem fieri, non ausus est procedere, ac palam dicere, Deficite à Christo &c. Novit enim ita magis à suo imperio recessuros, & vehementius illum exosuros. Propterea rectã viã ad accusandum non pergit, sed circuitione quadam perveptans, venenum iniquarum opinionum clanculum spargit, hoc relinquens, ut videantur quidem homines in fide permanere; re a. verã radicitus eam extrahit, & omnia veritatis instituta persfringit, & multum apud homines sibi obediens, Deo calumniam offundit. Non secus sanè, quam si quis puerum ingenuum ac liberum, sed simplicem ac incallidum dexterã prehensã è domo paternã non eijceret, sed ea præciperet faciendã, quibus designatis, volens nolens paternã domo eijciendus & exheres esset. Hæc Chrysostomus: Viderint politici nonnulli, annon egregij ipsorum mores in rebus fidei hîc fuerint depicti.*

## LXXVII.

4. Prætereã, quicunq; condemnationes errorum in fide prohibet, is hoc ipso libros omnes symbolicos tollit, aut reprehendit. Nam in ijs etiam Adversariorum errores improbantur: Vix enim fieri potest, quin symbolum & fides aliqua sine ambiguitate trada-



tradatur, nisi opposita erroris damnatione. Ideo in Augustana quoq; Confessione condemnationes non sunt omiffæ, ut in plerisq; articulis videre licet. Decimus etiam articulus, qui est de cæna Domini, improbat secus docentes, quæ est formula damnationis Ecclesiæ. Quæ fudes fuit in oculis Sacramentariorum, idè per unum virum privatum eam tolli curarunt, & in confessione correctæ omiserunt. Sed benè est, quod germanicum exemplar, quod & authenticum est, & in Comitijs Augustanis Imperatori Carolo exhibitum, correctionem istam passum non fuit, & quod in reliquis articulis damnationes adversæ doctrinæ tollere non fuere ausi. Quicumq; ergò Magistratus condemnationes impiæ doctrinæ interdicit, is bona cum conscientia socium Augustanæ Confessionis se nominare non potest, quia prohibet id, quod in confessione illa approbare profiteretur.

## LXXVIII.

§. Deniq; perpendat pius Magistratus, quod hujusmodi prohibitionibus facilè offendantur infirmi, qui, dum audiunt, malè docentes publicè & nominatum carpèdos non esse, dubitare incipiunt, an suis potius, quam illis doctoribus, assentiri debeant. Quos n. redarguere nefas est, in ijs nihil utiq; esse censent, quod à sana doctrina discordet, nec esse quidquam, quod nobis syncrètismum cum ipsis dissuadeat. Sed, ut nihil dicam, quod hujus rei cognitio non penes magistratum, nec penes ullum sit politicum, periculosum insuper est, scandalum præbere infirmis: quod facili negotio evitatur, si apertè indicetur populo, quos doctores fugere, quos sequi oporteat: quæ bona pars est muneris Ecclesiastici, quam sine scandalo infirmorum nec Ecclesiæ minister omittere, nec magistratus inhibere potest.

## LXXIX.

Quæ cum ita sint, non tam facilis esse debebat magistratus in audiendis hoc in genere consilijs politicorum, præsertim eorum, qui intelligere nolunt, quid condemnationes Ecclesiasticas appellemus, & quo fine eas instituamus: quas, qualiscunq; etiam adhibeatur moderatio, non nisi criminationum & clamorū tribunitiorum convitio, quibus totæ devoteantur Ecclesiæ, diffamant.

*Politici dissuadentes legitimas pseudo doctorum condemnationes, non sunt audiendi.*

Quâ



Qua in re pleriq; ipsorum sciunt, atrocissimam nobis fieri injuriam: viderunt solennes Ecclesiarum nostrarum apologias, legerunt gravissimam Electorum atq; Principum protestationem in praefatione libri Concordiae. Recenset ipse Hospinianus in sua Concord. Discorde cap. 21, fol. 132, b. quo pacto Theologi vocabulum damnandi declararint, nimirum non totas Ecclesias, non simplices & seductos, sed pertinaces errorum patronos damnari, & tamen mox sequente pagina veterem illam cantilenam repetit, nimirum totant asq; Ecclesias, quae sub cruce ingemiscant, inaudita causa a nobis condemnari. Quis ergo talibus committeret iudicium de ijs rebus, quas data opera intelligere nolunt, & de quibus praeter corruptos suos affectus, audire possunt neminem.

## LXXX.

Habet magistratus consiliarios suos Ecclesiasticos, quos hac in parte merito audit, qui, si pij sunt, & verbi divini amantes, non concedent, ut minister Ecclesiae quidquam contra officium suum faciat, in ullius hominis gratiam. Reliqui cogitabunt illud Siracidæ cap. 3, 12. *In alienis operibus ne fueris curiosus. Non enim convenit unum duplicem habere professionem*, ait Ambrosius in cap. 2. poster. ad Timoth. Unde pius ille ICtus D. Basilius Monnerus in Epistola Apologetica, quam tractatui suo de matrimonio affixit; *Leges inquit, statuunt, ut in causis tantum Ecclesiasticis, fidei & ad conscientiam pertinentibus (qualis certè est ελεγχῶ in ministerio, seu pervicacium hæreticorum condemnatio) soli doctores Ecclesiae & veri Episcopi cognoscant atq; judicent, & aberrantes perspicuis & certis verbi Dei testimoniis erudiant & convincant, atq; ita solius Spiritus S. ἐπεγεία per verbum Dei, tanquam organum, in rectam viam reducant.*

## LXXXI.

Rectè ergo & laudabiliter fecit pius Imperator Theodosius, qui Ambrosium Episcopum hoc in genere audire potuit li. 5. epist. 29. sic loquentem. *Neq; imperiale est, libertatem docendi denegare, neq; sacerdotale, quod sentiat, non dicere. Nihil in Regibus tam populare & tam amabile est, quam libertatem etiam in iis diligere, qui obsequio ipsis subditi sunt: siquidem hoc interest inter bonos & malos Principes, quod boni libertatem amant, servitatem improbi: Nihil est in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat, non liberè*



711.  
liberè pronuntiare, siquidem scriptum est: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.*

LXXXII.

Qui magistratui suadent, ne ferat doctrinæ impiæ *ἑλεγχον* in ministerio, quid aliud agunt, quàm ut magistratui templum tradi petunt pro lubitu regendum: quid enim est templum sine libero ministerio? Cogitare autem debebant, quid Ambrosius Valentiniano Imperatori, cum basilicas sibi tradi postularet, responderit: *Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum privati nullo potes jure temperare, domum Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo, inquit Ambrosius, Noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare esto Deo subditus, scriptum est, quæ Dei Deo, quæ Casari Casari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ: publicorum tibi manium jus commissum est, non sacrorum &c.* Ita refert ipse Ambrosius epist. 33. ad Marcellinam sororem.

LXXXIII.

Eodem modò Hosius quoq; Antistes Cordubensis Constantinum Imperatorem affatus est, referente Athanasio in Epist. ad solitar. vitam agentes: *Desine, quaeso, Imperator, ne te misceas rebus Ecclesiasticis, neq; nobis in hoc genere præcipi, sed potius tu à nobis discere. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, credidit &c.* Hoc modo consuluerunt olim magistratui, qui & obtemperavit benè momentibus: & tunc floruit Resp. & suum quoq; decus Ecclesiæ retinebat. Sed plura hac de re non addam.

CAPUT QUINTUM.

*De Objectionibus Adversariorum.*

LXXXIV.

Restat, ut Adversarios audiamus, illos suavissimos almæ pacis præcones, & condemnationum impatientissimos, qui ulcero-  
forum instar, quacunq; parte tangantur, dolent. Si molli brachio  
attrectes, ineptis; si durius tractes, insanis; similes pueris sunt in  
foro sedentibus, qui canentibus sodalibus, non saltant, lamentan-

F

tibus



cibus illis, non plangunt, ut Christus de Pharifæis loquitur, Matt. 11, 17. Et ut Lutherus jam pridem hominum istorum mores depinxit, in lib. quod verba cænæ adhuc fima stent: *verbulo uno immittis istos excipias, torvum saltem adspicias, vel laudes ipsorum non plenis buccis deprædices, jam illi sc. contumelias indignissimas passi quiritantur, imò martyrum coronis dignos statim esse gloriantur.*

LXXXV.

Etsi autem eos salvâ veritate dimittere possemus, tanquam tales, de quibus jam pridem Cyprianus scripsit lib. 1. epist. 3. *Non volunt victi facile succumbere, quamvis sciant, id quod faciunt, non licere: pereant sibi soli, qui perire voluerunt: attamen ne more suo conquerrantur, se nondum esse auditos, audiemus eos ad satietatem, quoniam prætextu condemnationes nostras, & imprimis publicam suorum Confessorem nominationem subterfugiant: & quidem ita audiemus, ut & nostram responsionem audiat Ecclesia Christi, & judicet.*

LXXXVI.

Prima obiectio.

Primum ergo esto, quod & primo loco semper in ore habent; qui condemnant errores, & eorum patronos pro concione nominant, esse *turbatores, rixosos homines, contumeliosos in bene meritos viros, & in totas Ecclesias, quæ sub cruce ingemiscant, magnasq; perpeffæ sint persecutiones.* Et hoc crimen Rhetorico ornatu ita passim amplificare solent, ut & magistratus interdum & rude vulgus adversus miseros ministros nimis inflammetur.

LXXXVII.

Responsi

*At justus in illo tempore tacebit, quia tempus malum est, inquit Propheta, Amos 5. 13. Antiqua scomata hic audis. Quemadmodum n. hæretici convicti à scripturis in reprehensionem ipsarum scripturarum convertuntur: sic & scioli isti convicti à curatoribus animarum suarum, in ipsorum convertuntur criminationem, Ubi ante omnia fidelis Ecclesiæ doctor meminerit illius, quod Christus dixit ad discipulos: Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malū adversum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniâ merces vestra copiosa est in celis; sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos Matt. 5. 10. Elias hujusmodi stomachum regis Achabi expertus est, cū resisteret Baalitis. Tunc es, dicebat rex, qui conturbas Israelem 1. Reg. 18. 17. Jeremias contradicens*





dicens nominatim Pseudoprophetis, audiebat vir rixarum & dis-  
fensionum *Ier, 15, 10.* Amos accusabatur seditionis *Amos 7, 10.* Chri-  
stus quia se opposuit Phariseis, ut seductor & turbator accusaba-  
tur coram Pilato, *Luc. 23, 2.* Paulus resistens Pseudoapostolis, dice-  
batur universum orbem terrarum commovere, & plurimos tam  
ex Iudæis quam ex gentibus adversus legem Mosis & Templum  
Hierosolymitanum concitare *Act. 21, 28.*

LXXXVIII.

Nihil ergo curanda sunt huiusmodi iudicia, quæ mundi sunt,  
qui in maligno positus est. Dum Ecclesiæ minister officium suum  
facit, nemini convitium facit, sed beneficium exercet; non con-  
tumeliosus est in homines, sed obediens erga Deum. Etiam Pau-  
lus insanire videbatur *Festo Act, 26, 24.* & qui Christum prædicant,  
insaniunt *1. Cor. 1, 23, 2, 14.* quid ergo mirum, si & illi qui hostibus  
Christi contradicunt, animali homini stultescere & insanire pror-  
sus videantur? Sed *sive insanimus, Deo insanimus, sive sani sumus, vobis  
sani sumus, Caritas enim Christi constringit nos. 2. Cor. 5, 13, 14.*

LXXXIX.

Cogient autem Adversarij, quid ex sensu Scripturæ sint ri-  
xæ, contentiones, convitia, & huius generis alia prohibita. vide-  
licet, non refutatio & condemnatio falsæ doctrinæ; quomodo a-  
lias Paulus increpare, objurgare, & obturare os præcipere potuis-  
set? sed rixæ illæ contentioforum hominum de rebus ejusmodi,  
quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem Dei *1. Tim. 1, 4.*  
ex quibus oriuntur invidia, contentiones, blasphemia, suspi-  
ciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, &  
qui veritate privati sunt *1. Tim. 6, 5.* Monstrent autem ullum in-  
terdictum scripturæ, quod non liceat arguere falsam doctrinam,  
& nominatim refutare falsos doctores: contrarium supra evici-  
mus, & ex sententia Chrysostomi, dissidia cum hæreticis habere  
non contentiones, sed pietatis esse, judicamus.

XC.

Quod de integris Ecclesijs objiciunt, calumniam esse supra o-  
stendimus, nec verbū amplius addimus in re tam manifestâ. Vide-  
runt a. ipsi, qui hæc nobis objiciunt, quantū parcant nostris Eccles.  
& earū fidelissimis doctoribus. Unus Luth. Deū immortalē! quas  
non vibices, quæ uon linguæ verbera excepit ab hisce mastygibus,

F 2

& quæ





& quæ non excipit in hunc usq; diem? Loquuntur Dialogi, & pascuilli cum alijs dentatis chartis, quas Calviniana natio, tanquam nova quædam Africa peperit, & quotidie parturit, imprimis sub illo pallio fictorum nominum, vel etiam prorsus anonymorum, contra Recessus imperij, contra officium boni Viri, contra sententiam suorum sociorum, qui non leviter peccare dicunt eos, qui nomina sibi minimè convenientia in rebus religionis adsumunt, ut *Boquinus* scribit in *assertione veri & veteris Christianismi*, cap. 1. qui gravissimè & satis atrociter invehuntur in adversarios suos anonymos, ut *D Urbanus Pierius* in *seiner Genöstigten verneinung* pag. 4. qui dissimulationem nominum in hujusmodi scriptis eo dicunt fieri consilio, ut licentius ceu ex plaustris convitiatorum & calumniarum nimbos profundant isti lucifugæ in innoxios, & ita cum omnibus impuris convitiatoribus communia convitia cacodoxas potius, quàm orthodoxas perferre possint doctrinas, ut *Bullingerus* scribit *contra lib. Polon. an. 66.* Tiguri edito, & qui deniq; hypocritæ sunt, ac malè sibi conscij, cum metuunt offendere aut fallere student, ac virus eorum in vulgus spargere, & cum non sunt pares ad tuendum ea, quæ proponunt, anonymis libellis, vel fictis nominibus agunt, vel quod pestilentissimum est, insignis cujuscumque viri nomine sua edunt &c. ut *Andreas Hyperius* scribit *super cap. 1. Coloss.* Agnoscite viri Calviniani vestras laudes, & deinceps de condemnationibus nostris ex vestro ingenio judicare desinite.

Secunda ob-  
jectio.

XCI.  
Deinde caritatem Christianam nobis obijciunt, quam lædi clamitant, cum impia doctrina, & ejus doctores nominatim arguuntur. Multos enim esse infirmos, qui hujusmodi clamoribus offendantur, quos in simplicitate suâ relinqui satius esset, quam disputationibus illis involvi, neq; fas esse, eos qui malè docent, ludibrio & odii populi exponere: ministrum Ecclesiæ non agere cum personis, ut illi confundantur, sed cum vitijs. Politicum magistratum ipsas punire personas, quæ e. g. in furto, homicidio, adulterio sunt deprehensæ: ministrum Ecclesiæ taxare vitia, non dicere, hic est fur, iste homicidia, ille adulter. Ita & sufficere, si in genere dicat, fugiendum esse falsam doctrinam, etiamsi in specie eos non nominet, qui malè docent.

Hæc



XCII.

Hæc omnia ita comparata sunt, ut Calvinianis doctoribus sub-  
nebulam ludere, & quasi aliud agendo rudem plebeculam decipere  
liceat. Quis enim ausit aliquid contra Christianam caritatem age-  
re? Sed hoc est, modum præscribere Christo & Spiritui S. qui vo-  
lunt ut caveamus Pseudoprohetas, eos increpemus durè, & ar-  
guendo, obsecrando, monendo instemus, opportunè & impor-  
tunè: quin & ipse Christus, Prophetæ & Apostoli, à modestiâ,  
charitate, & mansuetudine hac ratione finguntur alieni, siquidem  
& ipsi Adversarios veritatis interdum coram omni populo satis  
asperè tractarunt.

*Responsio.*

XCIII.

Concedimus utiq; non offendendos esse infirmos: sed hîc duo  
explicanda sunt: 1. quinam sint infirmi. 2. quid sit offendere infir-  
mos. Infirmi hoc quidè in loco nō sunt, qui in verâ religione à te-  
neris, quod dicitur, unguiculis educati, & proinde veram ejus no-  
titiam habere debebant; habere quoque poterant, si voluissent:  
neque ij, qui in fundamento fidei adhuc fluctant, cum tamen  
satis diu Evangelium eis rectè fuerit prædicatum: neque etiam a-  
perti hostes Evāgelij; propter hos sanè omnes ελεγχῶ falsæ  
doctrinæ & doctorum intermitteri non potest; sed apertis hosti-  
bus masculè resistendum, ne impietas per silentium nostrum  
incrementa capiat; Dubitantibus de fundamento fidei, illud  
monstrandum, ut &, quod cum fundamento pugnat, ut in fide  
magis magisque solidentur: reliquis verò qui in verâ religione  
educati sunt, sed eam nondum rectè preceperunt, ideò nominan-  
di hostes hujus religionis, ne quovis vente doctrinæ moveantur,  
sed potius in agnitâ veritate firmentur. Apud hos ergò nullum  
est metuendum scandalum. Alij autem sunt infirmi in fide, qui  
omnia mysteria fidei, omnesq; scrupulos religionis, de quibus in  
scholis disputatur, non intelligunt: quibus difficillimis illis dis-  
putationibus pro concione meritò parcitur. Sed quid hoc ad con-  
demnationem falsæ doctrinæ? quæ etiam absquæ illis disputatio-  
num tricus fieri potest.

*Infirmi.*

XCIV.

Offendere autem infirmos, non est, damnare falsam doctrinam, Offendere  
non & infirmos.





& doctores ejus nominare: hoc potius, erudire est in firmos, & no-  
 ras ostendere, quibus Pseudoprophetae agnoscuntur, quod inter-  
 mittiere esset offendere. Nam dum falsi doctores impunè grassantur,  
 suaq; dogmata spargunt, nemine contradicente, offenduntur uti-  
 que infirmi, & an haecenus rectè senserint, dubitare incipiunt,  
 id quod initium defectionis est. Hinc affirmare non veremur,  
 præclarum opus caritatis Christianae esse, impiam doctrinam &  
 doctores ejus condemnare, modo id debito modo fiat, ut supra  
 ostendimus, nimirum absque acerbitate, doctrinae falsitas mon-  
 stratur ex scripturis, unde agnitã falsitate, damnatio & rejectio e-  
 jus sponte sequitur. Quemadmodum ergo qui veneni naturam &  
 qualitates monstrat in cauris, ne saccaro forte, quo obductum est,  
 decipiantur, nequaquam offendit proximum, sed ex caritate Chri-  
 stianã perniciem ejus præcavet: Sic & Ecclesiae minister, dum ve-  
 nena impiæ doctrinae suis qualitatibus depingit, unã cum ijs, qui  
 sub specie singularis sanctimoniae eos propinant, certè non con-  
 tra caritatem Christianum facerè, sed potius eam in salutem pro-  
 ximi vel maximè exercuisse, judicandus est. Ita certè D. Paulus  
 judicat, cum *Rom. 16, 17.* hortatur: *Rogo vos fratres, ut observetis eos,*  
*qui dissensiones & offendicula præter doctrinã, quam vos didicistis, faciunt,*  
*& declinate ab illis.* Secundum quod Apostoli iudicium non, qui  
 doctores falsos redargunt, sed ipsi Pseudodoctores offendere ali-  
 os, & sic contra caritatem Christianam facere censentur,

XCV.

Inter magistratum Politicum, & inter ministerium verbi di-  
 scrimen esse libenter agnoscimus: quia illi gladius corporalis, huic  
 spiritalis concessus est: ille pœnam politicam, hic ecclesiasticam  
 infligit, & propterea inter damnationes magistratus & ministerij  
 distinguendum dicimus. Fatemur & hoc, quod in peccatis mo-  
 rum nullius persona pro concione sit nominanda: sed in erroribus  
 doctrinae, ipsi ἀντιλέγοντες sunt arguendi, monente Paulo *Tit. 1, 10.*  
 quemadmodum Prophetæ non in genere tantum docebant, qui-  
 cunque dixerit, in operibus bonis quærendam esse justitiam no-  
 stram coram Deo, is malè docet &c. sed nominabant sacerdotes  
 Hierosolymitanos, Christus Phariseos, Paulus Pseudoapostolos,  
 qui omnes ita docebant. Sic & hodie ad officium elencticum  
 non



non sufficit dicere, quicumq; docent, Christum non esse mortuum pro omnibus, corpus eius non esse, nec distribui in cœna &c. impiè docent, & fugiendi sunt, sed quod Calvinus, Beza & alij qui ipsum sequuntur ita doceant, exprimendum, ut constet, quinam & ubi sint, qui veritati infidiantur. Ratio hujus discriminis est, quia peccata morum tantum exemplo nocent: errores verò in doctrina datâ oporâ sparguntur, & ad alios per institutionis viam propagantur: ubi doctores ipsos nominatim nosse, multum interest. Proinde & hæc obiectio nullitate sua evanescit.

## XCVI.

Tertiò πολυπραγμοσύνης nos accusant, dum damnamus exteros Theologos, qui sub inspectione nostra non sunt. Et in hoc argumentum mirè sibi placent, imprimis politici nonnulli. *Cuilibet ministro inquit, sua commissa est Ecclesia, qui extra illam vivunt, nihil ad ipsos; quisenim ipsos constituit iudices exterorum? non sunt Apostoli novi, quid ergo ad ipsos, quid in exteris Ecclesiis fiat? & quæ sunt his similia, de quibus satis pomposè paratragædiare norunt.*

## XCVII.

Sed omnia γὰρ ἐν ᾧ ἔω. 1. Libenter concedimus habere quemvis Ecclesiæ ministram suum gregem, cui attendere debet ex præcepto Apostoli Petri 1. Pet. 5, 2. nimirum prædicatione verbi, & administratione sacramentorum, sed contra hoc officium suum minimè facit, cum errores in doctrina apud exteros motos, & grassantes reprehendit, & ex scriptura refutat, alias nemo nostrum vel Pontificios redarguere posset, quia DEI beneficio, Ecclesiæ nostræ ab his sunt immunes: Sed hoc nec ipsi illi sapientuli concesserint. Nam error in doctrinâ, quia verbo DEI adversatur, semper refutandus est, sive procul sit, sive propè: aliàs verbum DEI nondum rectè docetur: in eo enim etiam impia doctrina cujuscunq; nominis aut originis sit, jampridem refutata & damnata est. Et solet hæresis instar cancri serpere, qui tandem etiam remotissima membra corporis invadit, nisi maturè medicina paretur.

## XCVIII.

2. Scimus etiam DEI gratiâ, quod non simus Apostoli sive veteres, sive novi: sumus tamen ministri Christi, æquè ac Apostolis, quo prædicato Paulus Apostolus, Apollo, qui non erat Apostolus, sibi

Tertia ob-  
jectio.  
  
Responsio.



sibi conjunxit. 2. Cor. 3. 5. Differentiam ergo inter Apostolos & alios Ecclesiae ministros agnoscimus in eo consistere, quod illi immediatam, hi mediatam vocationem habent: illi in universo mundo praedicarunt Evangelium, hi in certo quodam caetu. Sed respectu ipsius ministerij non est differentia. Nam omnibus Ecclesiae ministris data est potestas docendi Evangelium, refutandi haereticos, arguendi seductores, ubicunque sint locorum, quod sane Apostolus Paulus Timotheo & Tito, qui non erant Apostoli, serio injunxit, de quo dici non potest, quod tantum Ecclesiae Ephesinae aut Cretensis Pseudoapostolos damnarint, sed in genere eis praecipuum est, ut corripiant eos, qui resistunt veritati, 2. Tim. 2, 25. & arguant contradicentes sanae doctrinae Tit. 1, 10.

## XCIX.

3. Et profecto res plena periculi esset, si non prius arcendus esset lupus, quam cum jam in medio ovium lanienam suam exercere cepit: procul utique adveniens inclamandus est, ne gregem nostrum unquam attingat. Neque etiam error in doctrina a diabolo ideo effectus est, ut in una saltim Ecclesia particulari maneat, sed ad reliquas etiam aditum quaerit, ita ut proprie loquendo extra Ecclesiam nostram dicendi non sint, qui in alijs particularibus Ecclesijs erronei quid docent. Sunt enim Ecclesiae particulares omnes unitate doctrinae fidei & confessionis ita conjunctae, ut a se invicem separari non possint, etiam si locis satis sint disitae: Ideo credimus in symbolo *communione sanctorum*, quos Spiritus S. in unitatem fidei congregavit.

## C.

Quemadmodum ergo orto incendio in aliqua civitate, etiam vicini ad extinguendum illud concurrunt, ubi non immerito non tantum rideretur; verum etiam projectae omnis charitatis Christianae accusaretur, qui vicinos illos alicujus *πολυπραγμοσύνης* argueret. Ita sane stultescunt in sua sapientia, qui ignem impiae doctrinae in vicina Ecclesia flagrantem, ab alijs, quos *exteris* vocant, extingui nolunt, cum tamen inter Ecclesias particulares longe arctior sit fidei & doctrinae communio, quam politica illa societas intra conjunctas domus, aut vicinas urbes, esse possit.

## CI.

4. Quod



4. Quod si consuetudinem primitivæ Ecclesiæ attendimus, certe etiam patres non semper hæresibus in suis tantum territoriis grassantibus, sed & exteris Ecclesiis vastantibus restiterunt. Augustinus Episcopus Hipponensis Donatum Episcopum Carthaginensem, Pelagium natione Britannum doctorem Romanum, Manichæos etiam in Arabiâ & Ægypto degentes, damnavit. Hieronymus circa Bethlehem habitans, Jovinianum monachum Romanum, & Vigilantium Gallum, Pelagium Britannum refutavit. Nemo tamen unquam alicujus πολυπραγμοσύνης eos accusavit, qui fit ergo, quod nobis tantopere vitio vertunt scioli, quod qui in Germaniâ sunt Theologi Calvinianos in Sabaudiâ fortè, Angliâ & Helvetiâ; qui in Saxoniâ & Misniâ Calvinianos in Palatinatu fortè Silesiâ & Marchiâ refutant? Ubi unquam auditum fuit, hæreticos non nisi ab ijs, qui in eodem cum ipsis territorio vivunt, fuisse condemnatos?

CII.

5. Viderint autem Adversari nostri, ne hoc suo ἐγκλήματι propria vineta cædant. Quoties enim ipsi exterarum Ecclesiarum iudices fuerunt? Quam vocationem habuit Beza superioribus annis, cum in Sabaudiâ nimis curiosus esset, de rebus quæ in Saxoniâ & Misniâ agebantur, quam ob causam diversis temporibus scripta sua edidit contra Ioachimum Westphalum, Tilemannum Heshusium, in primis verò contra Nicolaum Selneckerum, cujus existimationi apud serenissimum Saxonie Electorem D. Augustum detrudere, quamvis frustra, laboravit? Quis superioribus annis Daniele Tossanum, Doctorem Heidelbergensem iudicem constituit super articulos visitatorios in Misniâ? Quis alios in Palatinatu ante hos viginti octo annos pasquillos, censuras & dentatas chartas alias spargere iussit contra visitationem Misnicam? Et nunquid quæso Paræus aut Sibrandus Lubertus, aut Jacobus ad Portum, aut alij privilegium habent Photinianorum in Transsylvania & Polonia Ecclesias scriptis suis invadendi, nobis vicissim, quomodo optimæ Ecclesiæ in Palatinatu, in Marchia, in Silesiâ & alibi Calvinismo lacerentur, quærere non licet? Imò Lutherum Saxonem Helvetij, Sabaudi, Palatini, Silesij, Marchici, & qui non alij? quasi piacularem victimam tractant, & quando nimis affectibus indulserit suis in scriptis, accuratè norunt,

G eoq;





eoque nomine ut Ecebolum & Vertumnum multis convicijs pro-  
scindunt: à nobis dum sanctuli illi vix minimo digito attingun-  
tur, cælum ac terram inclamare occipiunt, & de πολυπραγμοσύνη  
conqueruntur. Scilicet, quia duo cum faciunt idem, non est idem.  
proinde suaderemus prudentibus hujus seculi, ut trabem prius ex  
proprio oculo ejiciant, postea de festuca, si qua est, in oculis no-  
stris sint solliciti.

CIII.

Quarta ob-  
jectio.

Pergunt autem quasi ex syngrapha nobiscum agere, objicentes  
pacem & tranquillitatem publicam, quam hujusmodi condemna-  
tionibus impediri putant: quæ objectio, quemadmodum abblan-  
ditur rationi (ecquis enim non desideraret auream pacem?) ideò  
facile applausum invenit, ita ut multi sibi persuadeant vitam ma-  
ximè tranquillam, si in religionis negotio alter alteri non contra-  
diceret: Quod si minus ex voto res ipsorum cedit, omnis infor-  
tunij culpam miseris Lutheranis imputant, qui suis scilicet cri-  
minationibus, quas vocant, pacem omnem eliminant: non secus  
atque olim apostatæ Judæorum clamitabant: *Ex eo tempore, quo  
cessavimus sacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omni-  
bus, & gladio & fame consumti sumus Ierem. 44, 18.*

CIX.

Responsio.

Jam verò cum Hieronymo ex animi sententia dicere possumus:  
*Volimus & nos pacem, & non tantum volumus, sed & rogamus; sed pacem  
Christi, pacem veram, pacem sine inimicitijs, pacem, in qua non bellum.*  
Qui tantum quærunt pacem politicam, ut ut habet religio, pa-  
cem conscientia facile amittunt, & ex ore DEI jam proscripti at-  
que condemnati sunt. Ita enim dicit Dominus: *In scripturâ domus  
Israel non sribentur, nec in terram Israel ingredientur, quia ego Dominus  
Deus, eo quod deceperunt populum meum, dicentes, pax & non est pax. Ezech.  
13, 9, 10.* Scriptura conjungit veritatem & pacem *Zach. 8, 19.* & ma-  
ledictam ait esse pacem Lutherus, qui fit cum jactura veritatis,  
*in comment. ad Galatas.* Veritas enim doctrinæ cœlestis omnibus  
temporalibus commodis longissimè est anteponenda, quia nō est  
ulla solida pax, qua conscientijs possit consuli, sine veritate do-  
ctrinæ.

CV.

Quapropter desinant Adversarij maledicere, desinant contra-  
dicere expressis verbis Christi, desinant absurda, impia & manife-  
sta falsa simplicioribus pro doctrina Evangelij obtrudere, desinant  
per



per cuniculos nostras impugnare Ecclesias, & nemo erit, qui pacem ipsis invidet: sed quamdiu impugnare veritatem caelestem pergunt, nullam unquam in hoc pralio Ecclesiastico pacem spiritualem nobiscum obtinere possunt. Scimus enim ex Nazianzeni orat. 3. de pace: *Sapè melius esse aliquos dissidere, quam concordet esse. Quis enim rectè sentiens laudaret conspirationem in re malà?* Interim autem dum ita nobiscum pugnare pergunt, orare non desistimus, ut Deus pacis omnia consilia eorum, qui bella volunt, dissipet, nobisq; junctim auream pacem domi forisq; largiatur: tantùm abest, ut religionis dissidia, quorum illi nullum unquam finem facient, pacem illam civilem ex nostra parte tollant.

CVI.

Quinto loco objiciunt, se consentire nobiscum in fundamento, in opinionibus autem & Phrasibus tantùm quibusdam à nobis discrepare: credere enim se, æquè atq; nos ex gratiâ DEI per fidem in Christum salvari: Quod cum D. Paulus unicum fundamentum nominet, 1. Cor. 3, 11, non posse nos condemnare ipsos eidem nobiscum fundamento insistentes,

Quinta  
objectio.

CVII.

Vetus hæc est cantilena, quam hodie etiam passim ubique intonant Adversarij, neq; ullum aliquod philtum esse credimus, quo simpliciorib9, interdum etiam doctis, & ipsi magistratui, sed horum certaminum non usque adeò gnaro, venenum suum facilius propinare possunt. Utinam verò tam immunes ab omni errore in fundamento essent, uti verbis quidem gloriantur, quis enim Ecclesiæ Christi hoc non optaret! Ô quam facilè in reliquis sive opinionibus, sive phrasibus, conniveremus, donec suo tempore, etiam hoc in genere, conformitas impetrari posset. Scimus enim stipulas fundamento superstrui posse, quæ progressu temporis igne tribulationis, persecutionis, & aliarum afflictionum consumuntur, incorrupto manente fundamento. 1. Cor. 3, 15.

Responsio.

CVIII.

Sed jam sæpissimè proprijs ipsorum verbis ostensum est, quàm falsa & ex parte impia doceant, de lapsu primi hominis, de voluntate DEI, respectu salutis nostræ, de causa peccati, de reprobatione hominum ab æterna salute, de persona Christi, de communicatione idiomatum (cujus vocem nonnulli ferre non possunt)

G L

possunt)





possunt) de merito Christi, de prædicato DEI verbo, de sacro  
baptismo, de sacrâ cœnâ, de sanctitate liberorum congenitâ, de  
Ethnicorû salute, de infantibus baptizatis, & similibus multis: quæ  
omnia fundamentum fidei concernere, & ab eo recedere, no-  
stramq; doctrinam in istis ab ipsorum erroribus *dis Διά πρῶτων* di-  
screpare, sapissimè ostensum fuit: non est necesse, ut hic actum  
agamus.

## CIX.

Illud tantùm expendant Aversarij, si in fundamento cum ipsis  
consentimus, cur ergò nobis veterum hæreticorum, Marcioni-  
tarum, Manichæorum, Nestorianorum, Eutylianorum, & quo-  
rum non? errores utique fundamentales, & publicè damnatos  
tribuunt? adeone cum his hæreticorum sectatorib; in fundamen-  
to consentiunt, & pacem cum eis tantopere exoptant. Ecquis  
est, qui cerebrum non in calcaneis habet, & homines istos rem-  
feriam agere credat? vel si seriò nobiscum agunt, cur quæso pati-  
untur, ut à sociennis doctrina nostra diabolo prorsus tradatur,  
(quod *Pezelius* & *Georgius Hannefeldius* fecêre) ut a Palatinis Theo-  
logis scribatur, à nobis fundamentum doctrinæ Christianæ nota-  
biliter corrumpi, & lupis seu hæreticis bipatentes portas in ovile  
Christi aperiri ( ut habetur in *confessione* ipsorum pag. 167. ) ut à  
Neodorpio in Luth. orth. scribatur pag. 317. fundamentum inter  
Lutheranos & Calvinianos sublatum esse: ut denique Theologi  
nostri etiam post mortem infernalibus furijs devoveantur, quod  
non ita pridem Paræum fecisse, supra ostendimus. Talia certè  
eos, qui in fundamento nobiscum sentire volunt, minimè decent.

## CX.

Quod autem ex gratiâ DEI per fidem in Christum salvari se  
credunt, folium ficus est, sub quo & alij latitare possent hære-  
tici, qui in hoc quidem articulo nobis essent *ὁμόψυχοι*, in alijs  
autem à fidei fundemento alieni, ergo fundamentum fidei  
hoc solum probare non potest. Vulgò dicitur, Fides est una  
copulativa, cujus articuli coherent tanquam annuli in catena,  
quorum uno rupto tota catena rumpitur. Qui ergò de merito  
Christi rectè quidem docet contra Pontificios, minus verò rectè  
de Persona Christi, minimè sanè in fundamento fidei purus &  
orthodoxus dici potest. Nam articulus de Persona Christi æque  
pertinet



pertinet ad fundamentum fidei, quàm, qui est de merito Christi: qui ergò in uno aliquo articulo fundamentali errorem foyet, is non tenet integrum fundamentum. Iam verò constat, Calvinianos in articulo de Personâ & officio Christi multipliciter aberrare, dum Christum Deum verè & realiter negant esse hominem, sed talem tantùm per ἀλλοίωσιν esse ajunt; dum divina idiomata Christo secundum humanitatem communicata negant; dum Christum secundum humanam naturam jam in terris esse concedere nolunt; dum Christum pro omnibus mortuum esse inficiantur, dum Christum non omnibus hominibus, sed tantùm absoluto Dei decreto electis datum esse docent &c. in quibus omnibus à fundamento fidei & a nostra doctrina quàm longissimè recedūt: quomodo ergò in fundamento nobiscum consentire dicuntur, etiamsi gratiam & fidem in Christum jactent?

## CXI.

Sed nec fides in Christum apud Calvinianos vera & salvifica esse potest, non tantum ob rationem jam dictam, quia in reliquis de Christo etiam credendis aberrat, cum tn. vera fides credat omni Dei verbo: verum etiam propter alias rationes, quas breviter adsignabo: 1. quia fides Calvinianorum non fertur in totum Christum, sed tantùm in divinam ejus naturam. Nam ex ore Dei maledictum scribunt, qui fiduciam habent in carne Christi, aut eam adorat. Ita n. habet Danæus cap. 29. Exam. cont. Chemnit. p. 417. *Maledictus (ait, ex ipsâ Dei personâ loquens, Prophetâ) vir ille, qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum, Jerem. 17, 5. Caro a. Christi est vera caro, & homo Christus verus homo. Qui a. religioso cultu quempiam hominem adorat, aut invocat, ille fiduciam suam in eo habet, quem ita invocat & adorat. Quare qui ad ipsam Christi carnem suam adorationem aut invocationem dirigit, is ex ipsius Dei ore est maledictus.* Hæc Danæus. Hinc ita infero:

*Qui non habet fiduciam in carnem Christi, is non habet veram fidem in Christum, & per consequens, per fidem in Christum non salvatur: Ratio est, quia caro Christi etiam ad personam Christi pertinet.*

*Calviniani non habent fiduciam in carnem Christi: Ergo non habent veram fidem in Christum, nec per fidem in Christum salvantur.*

G 3

2. Quia





## CXII.

2. Quia credit, tantum humanam Christi naturam fuisse passam: ideo Beza illam propositionem, *Deus est passus*, ita resolvit: *caro deitati unita est passa* in Colloq. Mompelg. p. 213. & Resp. 1. ad Colloq. Mompelg. p. 183. & Danæus in Examine contra Chemni. cap. 1. pag. 24. *Cum dicitur, Christus homo mortuus est pro nobis, non hoc dicitur, personam quandam, quæ in Christo homo sit, esse mortuam, sed, naturam tantum illam Christi humanam, quæ tunc non per se, & in separata hypostasi, sed in ipsâ unâ Christi personâ consideratur, mortuam esse. Et Herbornenses Rudim. lib. 1. p. 100. humana natura Christi tantum mortua est, non tota persona. Unde sic argumentor:*

*Qui credunt humanam naturam in Christo tantum, & non Deum ipsum revera fuisse passum, hi non habent veram & salvificam fidem. Calviniani ita credunt, Ergo.*

Majorem propositionem probamus, quia fides salvifica in Scriptura ita describitur, quod credat autorem vitæ esse interfectum Act. 3, 15. Dominum gloriæ crucifixum. 1. Cor. 2, 8. Deum proprio suo sanguine ecclesiam acquisivisse, Act. 20, 28. in quibus dictis passio Christi, non ad humanam tantum naturam restringitur, sed ad totam personam, quæ humana & divina natura constat, refertur; & quicumq; non credit, Deum verè in assumpta sua natura fuisse passum, is veram & salvificam fidem in Christum non habet. Ideo in Symbolo credere dicimur in Christum, DEI filium, *Qui*, (non, cujus humana natura) passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus &c.

## CXIII.

3. Quia derogatur infantibus fides, quos fidem habere posse negat Beza part. 2. ad Acta Colloq. Mompelg. pag. 97. seqq & tamen justiciam & salutem eis non negant, dum eos ab utero matris esse in fædere gratiæ, Christi participes, & adoptatos statuunt in filios, etiam antequam fidem accipiant: Ideo Piscator in Resp. ad dictata Hofmanni p. 84. infantibus justiciam non eadem ratione, qua adultis imputari adserit. Hinc sponte sequitur, ad minimum infantes Calvinianorum fide propriâ in Christum non justificari. Viderint autem illi, quomodo in hoc fundamentalis articulo de justificatione infantum nobiscum conveniant.

114. Huc



CXIV.

4. Huc pertinet, quod aliena fide aliquem justificari posse putant, sicut infantes fide parentum, quod cum doctrina de fide justificante planè non congruit. Scriptura enim docet, justum suâ fide vivere *Hab. 2, 5.* & justitia justî super ipsum erit *Ezech. 18. 20.* In istam verò sententiam adducit Marloratus explicans verba *Matt. cap. 9. Videns Dominus fidem illorum &c.* sententiam Calvinî dicentis, *Queri hoc loco solet, quatenus hominibus profit aliena fides? Ac primò quidem certum est, profuisse Abrahæ fidem posteris, cum gratuitum salutis fœdus sibi & semini suo oblatum amplexus est. Idem & de singulis fidelibus sentire convenit, quod Dei gratiam fide sua ad liberos & nepotes propagent, etiam antequam nascantur. Atq; id in pueris & infantibus locum habet, qui nondum per ætatem fidei sunt capaces.* Nos hinc ita argumentamur.

Qui justificantur alienâ fide, hi non justificantur vera fide in Christum.

Calvinianorum liberi justificantur alienâ fide,  
Ergò non justificantur verâ fide in Christum.

Minor propositio est Calvinî. Major inde liquet, quia vera fides in Christum est propria apprehensio Christi, ideò filij Dei fieri dicuntur, quotquot receperunt eum *Ioh. 1, 12.* non quorum parentes receperunt. Sicut ergò veram non haberent animam, si qui non suâ sed parentum animâ vivere dicerentur: ita & veram non habent fidem, qui alienâ fide justificari seu coram Deo vivere dicuntur.

CXV.

5. Quia nonnullorum Calvinianorum fides non tendit in totum Christi meritum, sed tm. in obedientiam ejus passivam. Ita n. *Piscator* scribit in *epist. Ro. cap. 4, & 5.* *Non rectè à nonnullis possessio vitæ æternæ tanquam effectum adscribitur obedientiæ Christi, quam Patri præstitit sanctè vivendo secundum legem &c.* Qui error quanquã in synodo VVappinensi publicè damnatus, & à Bucano, Trelcatio & alijs Calvinianis rejectus fuerit: *Pareus* tm. eum in *Comm. ad Roman. cap. 5. pag. 514.* Ubi de obedientia Christi activâ & passivâ inanes moveri rixas scribit; & addit: *Ad mortem & sanguinem Christi nos ducit universa Scriptura. Hæc obedientia illud est, quo justiciam imputari nobis Christus meruit: generalis integritas Christi divina & humana illud est, sine quo justiciæ imputationem nobis Christus mereri non potuit.* Nos inde hunc in modum argumentamur: Qui-





*Quicumq; fide sua tantum obedientiam Christi passivam adprehendunt, non habent veram fidem in Christum.*

*Quidam Calviniani hoc faciunt. Ergo.*

Majorinde constat, quia meritum Christi in scriptura ita describitur, quod consistat in activa & passiva obedientia Christi: illa fecit, quae Deus in lege nobis injunxit, haec maledictum legis nobis debitum in se recepit: de illa loquitur *Rom. 5, 19.* de hac *Phil. 2, 8.* utraq; Christus nobis vitam ac salutem acquisivit: utraque ergo fidei pectore apprehendenda est, alias fides in Christum non est vera.

## CXVI.

6. Quia nonnulli ex Adversarijs etiam gentibus quibusdam, qui nihil unquam neq; de Christo audierunt, salutem adscribunt aeternam. Quod Zvinglius fecit in exposit. fidei &c. ad Christianum Regem Franciscum: in cujus praefatione scribit: *visurum Regem in vita aeterna omnes sanctos, pios, sapientes, fortesq; heroas, Adamu, Abelum, Noahum, Abrahamum, Eliam, Esaiam, Davidem, Iohannem Baptistam, Petrum, Paulum, NUMAM, CAMILLOS, CATONES, SCIPIO-NES, & majores suos omnes, qui in fide defuncti sint &c.* Quae si vera sunt, sequitur, perinde esse, sive religionem Ethnicoru, sive Christianorum sequaris: utrobique salus esse fingitur. Contra quam impiam opinionem multa scripsit olim *B. Lutherus in confess. brevi de caena tom. 8. Ienensi germ. fol. 175, seqq. & in comment. lat. super Genes. cap. 47. fol. 633.* nec tamen desunt in hodiernum diem, qui dogma hoc Zvinglij excusare audent, inter quos est Bullingerus in praefatione libri Zvingliani, ubi dogma hoc Cinglij cygneam cantione nominat; Rudolph. Gualterus in Apologia anno 1545. edita pag. 52. & D. Pelargus in comp. correcto p. 294. Nos inde hunc in modum argumentamur;

*Quicumq; gentibus extra Christum vitam & salutem aeternam adscribunt, hi non credunt, omnes qui salvantur, per fidem in Christu salvari.*

*Atqui Zvinglius cum socijs nonnullis, gentibus extra Christum vitam & salutem aeternam adscribit.*

*Ergo Zvinglius cum socijs nonnullis non credunt, omnes, qui salvantur, per fidem in Christum salvari.*

An verò hoc sit fundamentum de justitia fidei tenere, omnes pij cogitent.

## CXVII.

Existimat quidem Zvinglius, Deum aliquid fidei in corde gentium

tilium



727.  
scripsisse, idq; ex *γνώμας*, & sententijs quibusdam colligit, ut quod Seneca ad Lucilium scripsit, *ita vivendū cum hominibus, quasi Deus videat &c.* unde & Senecam cœlo intulit in *Declarat. ad Urban. Regium.* Sed cogitent ejus socij. 1. an hoc etiam de monstro illo hominum Numa dici queat, qui Augustino teste lib. 18. de Civit. DEI cap. 24. in copiam Deorum referri non meruit mortuus, quia putatus sit, cœlum multitudine numinum ita constipatum, ut locum ibi reperire non posset. 2. an fides extra Ecclesiam reperiri queat, ad quam alias propriè pertinet, imò ne quidem in Ecclesia fides est omnium 2. *Theo. 3. 2. 3.* an ex *γνώμας* sapientum Ethnicorum fides in Christum possit colligi: cum hæc ad virtutes morales pertineant, quæ in multis, qui Christum planè ignorarunt, reperiuntur. 4. an etiam consentiatur hoc cum scriptura Apostolica, quæ fidem dicit ex auditu verbi Dei esse *Rom. 10, 17.* In quibus omnibus nimis absurdos esse oportet, qui Zvinglij partes ampliùs defendere audent.

CXIX.

7. Quia nonnulli ex Calvinianis etiam opera hominum ad justificationem referunt, quæ tamen Paulus in negotio justificationis simpliciter fidei opponit *Rom. 3, 28.* Nihil hic dicā, quod de Zvinglio & socijs recitat Philip. Melanchthon in *Narrat. colloq. Marpurg. 1529.* habiti, quod incommodè locuti sint & scripserint de justificatione hominis coram DEO, & doctrinam de fide non satis inculcarint, sed ita de justificatione docuerint, quasi opera, quæ fidem sequuntur, sint justitia hominis &c. Recentiores sanè Calvinii discipuli docuerunt, hominem esse justum primum imputatione, propter obedientiam Filij DEI, derivantis in se pœnam pro peccatis generis humani, sed alteram partem justificationis esse sanctificationem, quæ complectitur bona opera. Quæ omnia habet Joachimus Curæus in *Calviniana sua Exegesi* fol. 36, 37. unde sic concludimus:

*Qui statuunt hominem justum fieri coram Deo partim imputatione obedientie Christi, partim sanctificatione obedientie propriae, illi non habent veram fidem in Christum: quia hæc in justificatione peccatoris coram Deo excludit opera seu obedientiam propriam.*

*Nonnulli Calviniani ita statuunt.*

*Ergò non habent veram fidem in Christum.*

CXIX.

Apparet ex his paucis, gloriationem Calvinianorum de consensu in fundamento fidei, & de fide in Christum non tantum nullam esse:

H

verum





verum etiam neminem, præsertim ex seductoribus, qui doctrinæ Calvinianorum pertinaciter adhæret, spem salutis habere posse: quod quilibet pio animo secum expendat, & videbit etiam hanc objectionem non tantum nullius esse momenti, verum etiam condemnationes dogmatum Calvinianorum magnam partem confirmare. Damnamus enim hujusmodi dogmata, quæ non otiosæ speculationes, aut liberrimæ opiniones sunt, sed quæ verbo Dei expressè contraria, impia, & ex parte blasphema sunt: quod de singulis demonstrare non est difficile, sed nostri jam non instituti. Adeantur libri hac de re magno numero editi,

CXX.

*Sexta ob-  
jectio.*

Obijciunt autem sexto loco, *se nondum esse citatos, nondum auditos, nedum convictos*: iniquum autem esse tales damnari. Et quanquam in scriptis passim auditos se non negent, in publico tamen iudicio, hoc est, in synodo id nondum factum, ubi per iudicem dicta in ipsos fuerit sententia, qua damnati fuerint; quem processum Patres cum hæreticis olim instituisse ajunt; quæ omnia in primis *Neostadienses* in suâ de libro Concordiæ admonitione prolixè persequuntur *cap. 7.*

CXXI.

*Responsio.*

Tria hic docenda sunt, 1. an Calviniani ad dicendam sententiam citandi fuerint antequam condemnentur. 2. An auditi satis. 3. An cōvicti fuerint. Primum quod attinet, mirum est hominibus sapientibus illud de citatione in mentem venire potuisse. Ecquando enim citarunt Prophetæ suos adversarios? quando Christus Pharisæos? Quando Apostoli Pseudoapostolos? & quando ipsi Calviniani citarunt Arianos, Anabaptistas, Pontificios, imò & nos ipsos, quos tamen, quando visum fuit, refutarunt & condemnarunt, quod in primis Confessiones Helvetiorum, Gallorum & Sabaudorum testantur: quando n. hi nos ad audiendam vel dicendam sententiam citarunt? nunquam hoc factum, nunquam etiam ex nostra parte flagitatum, nam processus hic in Ecclesia non est usitatus, neque enim regnum Christi est de hoc mundo, sed ibi Spiritus S. liberrimam habet potestatem convincendi ex verbo hæreticum, etiam non citatum & absentem. Hæc enim est ratio à Apostolo præscripta: *Si quis aliud Evangelium annuntiaverit, præter id, quod accepistis, anathema sit Gal. 1, 8.* nullâ mentione judiciarij processus facta.

CXXII.

Annon satis auditi fuerint Sacramentarij hoc integro seculo, iudicet Ecclesia Christi: ipsis enim negantibus hac in re fides nulla est habenda



729.  
benda. Non puto ipsos tot scripsisse libros alio fine, quam ut legantur, & sententia ipsorum de rebus fidei inde audiatur, nisi fortè secretum aliquod sibi reservarunt, in generali concilio demum revelandum. Neque nos adeò biennos stupidosq; existiment, quasi non adsecuti fuerimus mentem ipsorum, ita ut in hunc usq; diem ignoremus, quid doceant. Si ergò nos intellexisse putant, qua fronte scribere possunt, se nondum auditos esse. CXXIII.

Neque verò in scriptis saltem auditi sunt; sed & in publicis Colloquijs & Conventibus. Auditi sunt in colloquio Marpurgensi, anno 1529, ubi Zwinglius cum socijs errores suos de peccato originis, de baptismo, & usu Sacramentorum, de ministerio &c. revocarunt, teste *Luthero* in Epistolâ ad *Iacobum Præpositum* pastorem Bremensem. Auditi sunt in comitijs Augustanis, an. 1530. ubi communè cum Protestantib; subscriptionem articulorum exhibendorum petierunt, sed frustra, quod non fecissent, si anno præcedente in Colloquio Marpurgensi se non auditos scivissent; ubi decimus articulus ipsis ex professo fuit oppositus; ubi tandem peculiarem Confessionem exhibere voluerunt, sed non admessa, verùm confutata est, teste *Sleidano* lib. 7. quod signum est, causam ipsorum in illustri isto conventu satis auditam, cognitamq; esse. Auditi sunt in conventu Smalcaldensi, ann. 1531, nec prius à Protestantibus in fœdus receptæ quatuor civitates, Argentoratam, Constantia, Lindavia, & Memminga, quam errorem Cinglianorum de Cæna Domini se deposituras promitterent. Auditi sunt *Witebergæ* anno 1536. ubi & concordia inter Lutherum & Helvetios facta, quam tamen *Bucerus* ad suos reversus mox rupit. Auditi sunt in Colloquio Ratisbonensi anno 1541. præsertim propter articulum decimum Augustanæ confessionis, qui in gratiam Cinglianorum mutatus erat, sed in integrum restituere eum coacti sunt, quemadmodum in tomo 4. operum *Philippi* inter articulos illius colloquij, integer & incorruptus reperitur, f. 736. Auditi sunt in colloquio Maulbrunnensi, anno 1564. in colloquio Mompelgartenensi, anno 1586. & in multis similibus conventibus, ita ut vel tandem puerilium istarum querelarum, quasi non auditi fuerint, pudere ipsos debeat.

CXXIV.

Sed in concilio aliquo generali non sunt auditi, multò minus publicâ sententiâ damnati. Quicquid autem sit, de hujusmodi Concilio,

H 2

quod



quod quàm impossibile sit, convocari, *in oratione de Synodo anno 1614.* habita monstravimus: certum est, iniquissimè illud hoc in genere postulari. Nam ut nihil dicam, quod hoc ipso incertitudinem fidei suæ probent, siquidem in concilio demum audire cupiunt, an ipsorum doctrina satis solida sit: iniquissimum sanè est, Ecclesiæ ejusmodi servitutem obtrudere, quasi potestatem non habeat damnandi errores in fide, ante generalis concilij decisionem. Longè aliam praxin observarunt Christus & Apostoli, qui non expectatò concilio Pharisæos & Pseudoapostolos solenniter damnarunt. Simonem Magum, Hymeneum & Alexandrum, Philetum, Diotrephen & Nicolaitas damnarunt Apostoli sine ullo concilio. Patres quoq; primis trecentis annis post Christum natum damnarunt Arium & alios, antequam concilium cogeretur ullum. Lutherus & Zvinglius Papam damnarunt ut Antichristum, damnant eundem hodierni Calviniani, damnant Photinianos hodiernos, Anabaptistas, Majoristas, Svenckfeldianos, &c. damnant nos quoq; ut Marcionismi, Manichæismi, Nestorianismi, affines: in quo verò cōcilio generali vel illos vel nos unquā audiverunt?

## CXXV.

Quod si concilij decisio tam neccessaria est, viderint annon easdem cum Esavitis inflect tibus, qui decisionem scripturæ contemnunt, judicis alicujus in concilio decisionem, expectant, unde *Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 11.* ordinarium ac penè neccessarium medium ad damnandas hæreses vocat Concilium. Ubi verò sua relinquitur scripturæ sacræ autoritas? annon hoc est Concilium extollere supra scripturam, si causæ cognitio & decisio ex solâ sacrâ scripturâ extra concilium peti non potest? *Scripturas habes pro me magistras, hic potes discere si quid discere cupis,* inquit Chrysostomus *in 2. Tim. 3.* Ariani olim eundem habebant prætextum, se nondum auditos in Synodo, ideò damnari non posse: sed Athanasius benè scripsit in Epist. de synod. Arimini & Seleuciæ: *Frustra circumcursitantes prætexunt, ob fidem synodos se postulare, cum sit divina scriptura omnibus potentior.*

## CXXVI.

Pelagianis etiam ad Synodum provocantibus, quasi non satis essent auditi, nec convicti, respondit Augustinus lib. 4. cont. duas epistolas Pelagian. cap. 12. *Quid ergò est, quod dicunt, de simplicibus Episcopis, sine congregatione synodi in locis suis sedentibus extorta subscriptio est? Numquid beatissimis & in fide catholicâ excellentissimis viris Cypriano & Ambrosio*  
ante



ante istos adversus istos extorta subscriptio est: qua eorum impia dogmata tanta manifestatione subvertunt, ut quæ contra eos manifestiora dicamus, vix nos invenire possimus? Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicietas damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissime inveniuntur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit: multoq; sint atq; incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnariq; meruerunt, atq; inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Quæ verba omnia Adversarijs nostris opponimus, qui iniquissimo suo postulato veterum illorum hæreticorum indolem produnt.

CXXVII.

Adde quod Pareus in Irenico cap. 12. & 13. de unicâ tantùm stipulâ & paleâ inter nos & ipsos controversiam esse fingit nempe *an corpus Christi in pane realiter lateat, & an edatur ore à fidelibus juxta & infidelibus?* Si hoc verum est, de quo jam non disputo, ecqua quæso necessitas hic est synodi generalis? nunquid paleæ requirunt generale aliquod concilium? Longè sapientius judicavit Athanasius in Epist. de synodo Arimini & Seleuciæ, præcipuam synodi causam esse novam exortam hæresin. Aut ergò fateantur, doctrinas suas non esse paleas, sed hæresin sapere, aut concilium generale tanquam ad doctrinæ suæ cognitionem necessarium flagitare desinant.

CXIIIX.

Et quis quæso fructus esset synodilicet magno labore & impensâ congregatâ? Calviniani nemini cedere sibi firmiter proposuerunt, neq; synodi sententiam adeò sanctam esse judicant, ut ei contradicere nemo possit, sed judicio Ecclesiæ demum eam committunt. Ita enim Pareus in Irenico cap. 11 ex Admonitione Neostadiens. scribit: *Si in synodo rectè instituta damnaretur verior sententia, propterea non coguntur piji, veritatis, de qua convicti essent ipsorum conscientia, confessionem abjicere, sed publicarentur acta, judicium committeretur toti Ecclesiæ, agnoscerent veritatem, quorum corda aperiret Dominus, & audirent oves Christi vocem pastoris, è cujus manu neq; synodorum autoritas, neq; persecutio, neq; ulla vis eas rapere potest &c.* Audis hîc, judicium Ecclesiæ ex sententia Calvinianorum esse supra synodum. Quæ ergò synodi necessitas? & cur non etiam sine synodo sententiam impiam & verbo Dei contrariam rejicere, piam autem ac veram recipere possit? Proindè neq; hanc ipsorum objectionem quidquam curamus. Vide plura in oratione mea de synodo contra Pareum.

H 3

126. Præ-





Septima  
objectio.

## CXXIX.

Præterea obtendunt nonnulli, qui alias à doctrina Calvinianorum alieni sunt, ministros Ecclesiæ à publicâ nominatione falsorum doctorum, & condemnatione impiæ doctrinæ ideò abstinere debere, quia  
1. apud Adversarios nihil proficitur. 2. furor hostium accenditur. 3. hinc periculum ministerio & Ecclesiæ creatur, 4. ad remotionem orthodoxorum, & substitutionem aliorum occasio datur: Parcendum ergo esse Auditoribus: melius esse aliquam habere Ecclesiam, quam omninò nullam. His nimirum machinis multorum animi in ministerio expugnantur, ut in munere suo elenchico remissius agant; & sic non animadvertentes lupum in ovile Domini intromittunt.

## CXXX.

Responsio.

Sciendum ergò, hæc consilia omnia esse carnalia, & politicam saltem tranquillitatem attendere, quæ quidem ut conservetur, modis omnibus laborare debet Ecclesiæ minister; sed quantum salvâ pietate, veritate & pace conscientia fieri potest. Nam ut de munere suo propterea aliquid remittat, & ad doctrinam impiam, quæ in cœtu sibi commisso paulatim serpere incipit, conniveat, consultum non est. Paulus increpando, obsecrando, arguendo INSTARE jubet, oportune & importune: si maximè doctores falsi non emendentur, *mali enim homines & seductores proficient in pejus, errantes & in errorem mittentes.* 2. Tim 3. 13, sufficit, moneri auditores, ne seducantur ab illis: neq; unquã hæ admonitiones & refutationes falsæ doctrinæ apud omnes erunt absq; fructu, quia pars sunt verbi divini, quod ad se vacuum non rediturum, promisit Dominus *Esai. 55, 11.*

## CXXXI.

Quod exacerbantur Adversarij, ministerio imputari nequit; nec aliter fieri potest, quin cum fremitu ejiciatur Satan. propterea v. minister Ecclesiæ officium suum negligere nō debet. Ideò Petrus hortatur: *timorem eorum ne timueritis, & non conturbemini.* 1. Pet. 3, 14. & Paulus: *in nullo terreamini ab Adversarijs, quæ illis est causa perditionis; vobis autem salutis.* Philip. 1, 38. Ministerium & totam Ecclesiam propter refutationem Adversariorum sæpè numero periclitari non negamus, sed causa hujus rei non est ελεγχος. Adversariorum, qui fit ab Ecclesiæ ministris: Sed impatientia eorum, qui sanam doctrinam non admittunt, nec veritatem ferre possunt. Hi ministerio & Ecclesiæ periculum creant: ipsorum n. non est resistere Spiritui S. mundum arguenti ob incredulitatem. Iniquum ergò est,

est,



est, imputare fideli Ecclesiæ doctore, quod est ab eorum, qui audire ipsum debebant, malitia.

## CXXXII.

Nemo bonas leges abrogandas suadet, quod homines plerumq; nituntur in vetitum; sic & ob Adversariorum furores nemo prohibere debet ipsorum redargutiones. Amos Propheta pro rebeli fuit habitus, cuius sermones terra sustinere non possit, quia contra sacerdotem Amasiam durius locutus fuit, quam ob causam in exilium pellatur *Amos 7, 10, seqq.* Etiam hîc dicere potuisset populus; abstinere eum debuisse & compescere hunc zelum, ita ipsum sedem in patriâ habere, & populum Prophetam suum diutius retinere potuisse. Idem Iohanni Baptistæ, & Apostolis dici potuisset, quod zelo suo sibi mortem & persecutionem accelerarint, ideo parcere sibi suæq; Ecclesiæ, mitiusq; cum Adversarijs agere debuisse: melius enim esse habere aliquam Ecclesiam, quam nullam.

## CXXXIII.

Verum n. verò etsi omnino suademus, ut justa adhibeatur moderatio in ἐλέγχῳ falsæ doctrinæ, de qua supra: tamen etiam atq; etiã cavendum est, ne ista moderatio in hypocrisin & adulationem degeneret. Nam grassantibus lupis in medio ovium, sub pelle ovilla, vel è longinquo, & quasi per cuniculos ovile petentibus, extenuando errores suos, & prætendendo meram pacem, & syncretismum doctrinarum etiam diversissimarum, minimè connivendum est, & qui hîc non masculè resistit, mercenarius est, graviusq; periculum accersit Ecclesiæ, quam si mille excitasset persecutiones. Ibi enim de animarum salute agitur, & veritas doctrinæ cælestis prostituitur, sine qua nulla Ecclesia vera esse potest.

## CXXXIV.

Nimia lenitate & conniventia non servatur, sed perditur Ecclesia, non retinetur, sed amittitur verbum Dei. Aperta confessione, & contradictione hostium servatur, sicut Dominus ad Ieremiam dixit: *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris, convertentur ipsi ad te, & tu non converteris ad eos. Ierem. cap. 15, 19.* simulatione verò & intempestivo silentio perditur, sicuti minatur Dominus, se propterea ablaturum verbum suum, & substituturum errores, quia audire non poterant, si quis loqueretur contra idola. Ita enim dicit Dominus *Ezech. 3, 8.* *Ecce dedi faciem tuam valentiolem faciebus eorum, & frontem tuam duriolem frontibus eorum: Ut adamantem, ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neq; metuas à facie eorum, quia domus exasperans est. Sed cum audire ipsum nollent, addit Dominus v. 26. Linguam tuam adhaere-*

refa-



re faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. Et cap. 14, 3. seqq. dicit, se non responsum interrogantibus, & Prophetas errantes inter ipsos excitaturum, eò quod Prophetam Domini contra Idola loquentem audire noluerint. Audis hinc defectum publicarum objurgationum, & prophetas errantes, pænæ loco indici ijs, qui contradicentes impiæ doctrinæ audire non possunt.

## CXXXV.

Malè ergò faciunt, qui causam publicarum persecutionum aut pravorum dogmatum reprehensioni falsæ doctrinæ adscribunt, cum contrarium potius verum sit, & certissima Ecclesiæ veræ perniciēs expectanda, redactis ad silentium ijs, qui officij ratione impiæ doctrinæ resistere debebant. *Neg, enim aliunde hereses abortiunt, aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur ait Cyprian. lib. 1. epist. 3.* Quâ in re diutius immorari nolo. Omnes autem fideles Ecclesiæ ministros in Domino rogatos volo, ut in ἐλέγχῳ errorum & errantium eos sese præbeant qui salutem Ecclesiæ, & conversionem errantium unice quarant, idcirco à convitijs abstineant, non tantum temporis fallendi causâ, sed ex serio veritatis studio errores & eorum patronos, reprehendant, & ἐλέγχον omnem ex fundamentis scripturæ instituant, ut appareat, ipsos nihil adfectibus tribuisse, sciantq; se eorum omnium rationem aliquando reddituros Iesu Christo. Ita non deerit successus, etiamsi odia mundi sibi concilient, & fructus omnis hujus sui officij expirare videatur. Deus enim in manibus suis habet corda hominum, & si placuerint ei viæ hominis, etiam inimicos suos converteret ad pacem *Prov. 16, 7.* Si verò propter confessionem veritatis aliquid patiendum erit, non propterea deficiet Ecclesia Christi, sed *multiplicabuntur magis magisque Christiani, & non implebitur quod dixerunt inimici, quando morietur, & peribit nomen ejus?* dicente *Augustino in præfat. Enarr. Psal. 40.* Hæc de Objectis Adversariorum.

## CXXXVI.

Quod restat, Deum veritatis, & pacis veneramur supplices, ut eos, qui Ecclesiæ & Reip. præsunt, suo sancto Spiritu regat, ne vel propter tranquillitatem civilem, vel propter favorem hominum quidquã faciant, quod conscientiam lædat, aut veritati officiat: pacem civilem ita quærant, ut cælestem veritatem omnibus anteponant, & cum *Augustino ex lib. 2. cont. literas Petiliani cap. 68.* Adversarijs suis, pacem semper in ore habentibus, intrepidè dicere possint: *Pacem ex Evangelio prædicamus, cum quo si pacem habueritis, & nobiscum habebitis.* Nam ut *Cyprianus in tract. de simplicit. prælatorum* scribit: *Ad pacis præmium venire non possunt, qui pacem Domini discordiæ furore ruperunt.* TANTUM VERITAS ET PAX SIT IN DIEBUS NOSTRIS.

Amen.

Errata.

th. 15. lege *קָרָה* th. 26, lin. 8. l. pro *servet*, *semet.* th. 65, lin. 17. *hypocritas.*

προς Φώνη  
σις ad Eccle-  
siam mini-  
stros.



ULB Halle  
003 850 781

3




V3 17


IA → OL











671

cc)

26

THEOLOGICUS  
De  
**THEMA**  
S MIS

*Seu*  
ibus Ecclesiasticis.  
*tractatur Questio*

sin concionibus & scriptis  
Ecclesiae nominatim  
refutandi.

*ia loco propositus in inclytâ*  
*Wittebergensi,*  
& PRÆSIDE

**BALDUINO D.**  
Superintendente.

NDENTE  
**E DÖLINGIO,**  
-Pomerano.

*Martij, horis & loco solitis.*



BERGÆ,  
*icâ Johannis Gormanni,*  
lo loc XX.